


EX-LIBRIS



ARCHITECTE


THEATRVM
OMNIVM SCIENTIARVM
EXC.^{MO} COMITI DE OÑATE
PLAVDENTIVM.
NPerrey fecit, et exc.

THEATRVM
OMNIVM SCIENTIARVM,
SIVE
APPARATVS,
QVO EXCEPTVS FVIT
EXC.MVS PRINCEPS
D. INNICVS de GVEVARA,
ET TASSIS
COMES DE OÑATE, & VILLAMEDIANA, &c.
AC NEAPOLITANI REGNI PROREX
SAPIENTISSIMVS
IN NEAPOLITANA ACADEMIA
IN INSTAVRATIONE STVDIORVM ANNI MDCXLIX.
CVM POST SEDATOS NEAPOLITANI REGNI TVMVLTVS
TANTO PRINCIPE AVSPICE
NEAPOLITANA PALLAS ARMORVM TVRBINE PENE OBRVTA
CAPVT EREXIT.
PROFESSORES GYMNASII NEAP.NI
MOECENATI SVO VERE OPTVMO, VERE MAXVMO,
GRATI ANIMI ERGO
P. D. C.



NEAPOLI, Robertus Mollus Typographus Excudebat
Anno Dñi MDCL.



EX.MO DOMINO D. INNICO DE GVEVARA, COMITI DE OÑATE, ET VILLAMEDIANA, NEAPOLITANI REGNI PROREGI, VERE MAGNO, VERE INVICTO.



NEAPOLITANI GYGMNASII PROFESSORES Dedicant, Consecrantquè.



A Est rerum à Te gestarum laus, ac gloria (EXC.ME PRINCEPS) vt etiàm in quas Oceanus in extrema Terrarum submouerit Insulas, eorum fama peruaserit, quæ virtute viam panden-

dente, plaudenteq; Fortuna tot iàm annos prò tuo Inuictissimo REGE gessisti. Eo quippè consilio, animiq; ingentis amussi victoriarum momenta rexisti, vt feliciores sempèr euentus pepererint, è quibus summa rerum penderet, quàm vnquàm armorum Imperatores concupiuerint. GERMANIAE res inter Gothicas, Palatinas, Saxonicas, Dacicasquè procellas penè naufragas Hispanus verè Typhis, arrepto veluti gubernaculo, Magnanimus Parens tuus asseruit, at non sinè Tui consilij Cynosura; Verùm quià vniuerso Terrarum Orbi natus eras, pòst Vrsam cùm multò quid ferocius nostra in Sirene sæuiret, quæ contumacior per moras facta, transmarinas etiàm gentes in spes non vulgares erexerat: Te dèmum è Tiberi, quasi è triumphali solo tecùm vnà triumphos veheres, aduentante, cessit non sinè lachrymis, quòd serò eum Heroem aspiceret, cuius si periculum fecisset anteà, in tot pericula non incidisset. Venisti, Vidisti, Vicisti,, tanta ipsius, quæ modò pugna-

gnauerat, plebis alacritate, vt fateretur plùs sibi profuisse victoriam, quàm victori, ac victam se verè futuram, nisi à te victa fuisset: triumphale ferrum àd victoriam adhibuisti, non àd vltionem, tequè illi parentem amantissimum, ac pijssimum Ducem præstitisti.

Quis verò tot inter Regni calamitates de re literaria cogitaturum Te vnquàm sperasset, potissimùm verò obsidente per ea tempora Salernum Gallo, ac vicinis Insulis occupatis nauigiorum indagine nostra litora prætexente, quasì cùm terra vnum Salernum, totum mari Regnum cuperet obsidere. Quid tùnc egisti? quæ tuæ fuerunt partes? O rem non dicam Heroe, sed te dignam! hoc enìm vno Heroas omnes pari omnium iudicio superasti. In Gallos tota belli mole conuersus tàm trepidè eos explicare fugam coegisti, vt tormentarias moles, & nonnullas eorum cohortes, quæ fugam è vestigio non occupauerant, in potestatem redegeris. Et hæc cùm ageres studia pacis non seposueras; pu-

gnante quippè tuo àd Salernum milite, reficiendo nostro Gymnasio sedulam alij nauabant operam, cùmquè Apollinis arcum in hostem intenderes, eiusdèm in vrbe citharam temperabas. Cùmquè hæc armorum, literarumq; consilia agitares, Regium ærarium tot ciuilium bellorum iacturis exhaustum, ac dissipatum summa prouidentia respexisti; sed quanàm hæc solertia, qua dexteritate egisti! Regnum quippè cùm stabilires, ærario in opportuna bellorum, pacisquè constituto; Populo etiàm, qui òb intestini Martis incommoda penè iacebat exanimatus, rem frumentariam prouidisti, ipsa àd miraculum obstupescente natura, quòd quas ipsa segetes suppetere desperabat, tu per exteras Prouincias toto Mediterraneo cõquisitas importari Neapolim imperaueris.

Proindè tàm altè nostris pectoribus tanti beneficij incidit magnitudo, vt occasionem meditaremur, qua grates si minùs te dignas, prò nostra saltèm tenuitate referremus.

Igitùr

Igitùr communi omnium aſſenſu, probante inſupèr ſumma alacritate noſtra conſilia Illuſtriſſimo Domino Don Ioanne de Salamanca Regij Sacelli maiore ædituo, ac noſtri Præfecto Gymnaſij meritiſſimo, ſtatam inſtaurandis Studijs Nouembrem diem eius, qui ſe proximè inuoluit, atquè elapſus eſt, anni in tuarum laudum vertimus inuitamenta. Quęnàm illa omnium fuere Studia, cùm parietes ipſi, ac peryſtilia noſtri Gymnaſij geſtire præ lætitia viderentur! Quænàm illa concio è Togata gente, ac delibato Equitum flore compoſita, prò qua tuas in laudes quà maxima potuit dicendi contentione orationem habuit D. Ioannes Baptiſta Cacacius Regius Inſtitutionum Ciuilium, & Eloquentiæ noſtro in Gymnaſio Profeſſor Vir Hiſpani nominis amantiſſimus, tuiquè ſtudioſus in paucis. Eiuſdèm etiàm opera non vulgaris fuit in tuis encomijs carmine concinendis, omniq; Gymnaſio Emblematis, Impreſijs, Odis inſupèr, & Elogijs exornando.

Nè

Nè tamèn idem qui occidenti Soli tantæ celebritati terminus esset, omnem hunc Apparatum Typis committere, tuoq; Nomini constituimus consecrare. Vna interìm in Longonem expeditio à te tàm magnanimis votis, tàm generosa indole suscepta cùm nostra in Te studia distineret, instar interrupti aggeris obiectu amnis, Tuarum gloriarum auxit materiem, tàm nobili Triumpho de Gallis tàm breui tempore reportato: Qua vna victoria non vnius tantùm Neapolis; sed totius res Italiæ confirmasti. Arbitram quippè Tyrrheni maris Insulam portus Nobilitate celeberrimam Gallus insederat, ac prædatoria Classe per hæc nostra deuectus maria, in ipsa pace nos obsidebat; nullum quippè soluebat à supero ad inferum Mare nauigium, quod illi non inuaderent, ac diripere nt. & ingentes onerariæ, quæ mitem expertæ Oceanum fuerant, in Yluæ statione patiebantur naufragium. Tu tamèn difficillimis temporibus comparata Classe Yluam

appu-

appulisti, cumquè Gallus ità confideret rebus suis òb commeatuum omnium copiam, quàm in multorum annorum obsidionem comparauerat, vt longum diceret esse Longonem obsidere, eorum iactantiam decoquere coegisti, ità ostentatis armis, eaquè virtute oppugnationem aggressus, vt nisi citò se dedidissent, extrema se passuros agnoscerent.

Perindè in nouam præsentis Anni Studiorum instaurationem triumphalem Tibi pompam nostra in Academia meditabamur. totum se nouis inuentis tanto triumpho debitis noster Cacacius Illustrissimi Gymnasiarchæ iussa secutus, addixerat, cùm nunciatur tuam cæptis obstitisse modestiam, nec partem laudum velle, qui tantum Triumphum soli Deo referebas acceptum. O virtutem singularem! O inauditam in triumphanti PRINCIPE pietatem! venantur pleriquè falsas, Tu veras abnuis laudes: Dicam profectò Te parem summis Imperatoribus Triumphis,


c ac

ac victorijs esse; sed hac vnà modestia ipsos æquasse cęlites.

Vnam igitùr exacti iàm anni celebritatem typis excusam in præsens offerimus, & licèt tuam videamur læsisse modestiam, sinas tamèn nostrorum animorum gratas vices in lucem efferri, æternam memoris facti gratiam testaturas.

Igitùr flores hosce, qui tuis inscripti beneficijs in Neapolitani Gymnasij areolis adoleuerunt, benigna, hilariquè fronte recipias, ac Neapolitanam Palladem ama, quæ aura tui fauoris afflata, fore sperat, vt in eos fructus sui flores erudiantur, quos Austriaco Imperio subiectæ Prouinciæ, ac gubernandæ gentes, non sinè tui Nominis encomijs immortalibus, æternùm valeant degustare. Vale Inuictissime Princeps, & nostri Gymnasij qualecumquè munusculum æqui, boniquè consulas, & istum animum tuum semper nobis conserua. Neap. Anno Dom. 1650.

BENEVOLO LECTORI.



D. IOANNES BAPTISTA CACACIVS I. C. NEAPOLITANVS in Neapolitana Academia Institutionum Ciuilium, & Eloquentiæ Professor S.



VASI Heroum monimentis meus calamus seruaretur, pòst tot Hispanorum Principum laudes, quas me Carminibus celebrasse non es nescius, Amice Lector, Excellentissimi COMITIS de ONNATE nomen cùm Camillis quidèm illud, cùm Scipionibus numerandum àd sua me ciet encomia. Et verò eloquentiæ, ac Poeseos studio nuncium penè remiseram, ac valedixeram; periculosæ enim, & infelicis me Palladis esse non ignoraueram, adeòque àd ea studia me totum conuerteram, quæ magis essent è re familiari; Cùm repentè àd COMITIS de ONNATE nomen reuiuiscere mea Calliope, & spem præter spem visa est speculari. Iacuerant Neapolitanis seditionibus obtritæ literæ, ille instaurari iussit. Semiruta erant Gymnasia, refici imperauit, & velut è scissa, attritaq; sulcis tellure vberior seges emergit, ità è bellicis tumultibus COMITIS de ONNATE prudentia singulari compositis, in maiorem pompam, ac decus se se Neapolitana Pallas erexit. Igitùr grati animi vices tanto PRINCIPI fuerant adhibendæ; sed Professorum mira tenuitas nullis hactenùs prouentibus propter bellorum incommoda, adiuta, ingentes animos retardabat; Nosmetipsos tandèm excussimus, & prò virili qua potuimus ratione præsentis anni pompam adornauimus, Appetebat interim renouandis Studijs de-

finita

finita dies ineuntis Nouembris recurrentis Anni MDCXXXXIX. Illustrissimus nostrorum Studiorum Præfectus, ac Regij Sacelli Maior Aedituus D. Ioannes de Salamanca curam mihi tùm habendæ in instauratione Studiorum Orationis, tùm Carminum, aliarũq; Scriptionum demandat. Enìmverò Legum Studia nonnihil erant impedimento, & cùm poeseos paleis Legum frumenta certabant. Excussi tandèm fœcundum pectus, & è quodàm veluti somnio iacentem Musam excitaui. Operis argumentum aliundè petendum non fuit, cùm ipso in Gymnasio abundè suppeteret. Igitùr occasione Theatri, quod in publico Gymnasio cernitur, id nomen huic Pompæ indidimus: Theatrum scilicèt Scientiarum omniũ COMITI de ONNATE suo reparatori plaudentium, tùm Phrenoschematis, ac Emblematibus Gymnasij intercolumnia, additis etiàm sua per interualla Odis exornabantur: donèc àd Theatrum deuentum fuit, vbi Scientiarum omnium, quas ibi profitemur aderant simulachra. rem deincèps suo enarrabimus ordine, quo acta fuit. Tu interim, Amice Lector, nostro Theatro si libet, plaude; nàm mihi vnum in votis, vt scilicèt Dominis auribus gratè accidam, ac possim cùm Claud. exclamare:

Iàm Dominas aures, iàm Regia tecta meremur,
Et chelys ONNATE iudice nostra sonat.

ENAR-

ENARRATIO APPARATVS.





XCELLENTISSIMI COMITIS DE ONNATE meritis hoc Anno à Neapolitani Gymnaſij Profeſſoribus conſtituta celebritas quampaucis erit enarranda. Ea ità ſe habuit. In ipſa Neapolitani Gymnaſij Porta, marmoreis illa quidèm Columnis, cæteraquè operis elegantia Romanarum ſubſtructionum imaginem referente huiuſmodi elogium deſupèr conſtitutum erat:


D. INNICO VELEZ DE GVEVARA
Comiti de Onnate, &c.
Ac Neapolitani Regni Proregi meritiſſimo,
Principi verè magnanimo,
Pace, Belloquè
Tàm armis, quàm literis
Probatiſſimo,
Quòd Alphonſum Aragonenſem æmulatus,
Quam vrbem pace firmauit,
Literis etiàm;
Quæ in illa bellorum iniuria deſciuerant,
Illuſtrauit.
Muſæ loci huius Indigenæ
Reparatori ſuo ſapientiſſimo
Grati animi
AEternum hoc monimentum
P.

d Tùm


Tùm parietes ipsi, ac peryſtilia tàm ampli, ingentiſquè Gymnaſij holoſericis periſtromatis veſtiebantur, omni Carminum genere, quàm bellè, concinnèquè diſtincta; itàut omnia illa peryſtilia, ac pilæ marmoreæ, quæ continentes fornices ſuſtentabant àd Theatri molem proludentes, Odis, Impreſijſquè ſuperimpoſitis, & Emblematibus in vicem exciperentur;

Sed antequàm àd Theatri pompam perueniamus, libet proludentia hic Emblemata, tùm Odas etiàm, & Phrenoſchemata, ſiuè Impreſias adijcere.





Typographus Lectori S.



CVM festinatæ formæ mendis non careant, pauca te admonendum censui, Amice Lector, nè inter legendum te illa offendant, & cùm ea depræhenderis, quomodò sint restituenda in promptu habeas. In 1. fol. in Commentario primi Emblematis, vbi legitur *multa illarum gentium*, restituendum est *multa de illarum gentium moribus*: Et paulò pòst vbi legitur *ignem*, reponendum est *ignis*; vbi *Vllyssem*, reponendum est *Vlyssem*; vbi *diggremur*, reponendum est *digredimur*. Sic deindè fol. 11. vbi legitur *ingenti in religione fuisse*, reponendum est *in relligione fuisse*, & verbum illud *ingenti* expungendum est; nàm abundat in eo carmine, vt Autor admonuit. Sic fol. 32. vbi legitur *Iaspis*, reponendum est *Iaspidem*. Sic fol. 35. vbi legitur *vlli*, reponendum est *vllis*. Sic fol. 37. vbi legitur *Ast*, reponendum est *Ast vbi*. Sic fol. 46. vbi legitur *aquarum*, reponendum est *aquam*. Sic fol. 60. vbi legitur *Martam*, reponendum est *Martem*. Prò *Oñate* latinè aliquando reddidimus *Onnate*. Alia errata in calcem libri reposuimus. At inquies, diligentiùs tantum opus curare debueras, vbi de Autoris fama dimicatur; sed & Homerus quandoquè dormitat, & festinati partus semper impoliti in lucem eduntur. Vale.

BENEVOLO LECTORI.



D. IOANNES BAPTISTA CACACIVS I. C. NEAPOLITANVS in Neapolitana Academia Inſtitutionum Ciuilium, & Eloquentiæ Profeſſor S.



VASI Heroum monimentis meus calamus ſeruaretur, pòſt tot Hiſpanorum Principum laudes, quas me Carminibus celebraſſe non es neſcius, Amice Lector, Excellentiſſimi COMITIS de ONNATE nomen cùm Camillis quidèm illud, cùm Scipionibus numerandum àd ſua me ciet encomia. Et verò eloquentię, ac Poeſeos ſtudio nuncium penè remiſeram, ac valedixeram; periculoſæ enim, & infelicis me Palladis eſſe non ignorauer am, adeòquè ad ea ſtudia me totum conuerteram, quæ magis eſſent è re familiari; Cùm repentè àd COMITIS de ONNATE nomen reuiuiſcere mea Calliope, & ſpem præter ſpem viſa eſt ſpeculari. Iacuerant Neapolitanis ſeditionibus obtritæ literæ, ille inſtaurari iuſſit. Semiruta erant Gymnaſia, refici imperauit, & velut è ſciſa, attritaquè ſulcis tellure vberior ſeges emergit, ità è bellicis tumultibus COMITIS de ONNATE prudentia ſingulari compoſitis, in maiorem pompam, ac decus ſe ſe Neapolitana Pallas erexit. Igitùr grati animi vices tanto PRINCIPI fuerant adhibendæ; cùm par eſſet tanti beneficij magnitudinem aliqua ſaltèm obſequentis animi nota palàm facere, ac aperire. Appetebat interim renouandis Studijs definita dies ineuntis Nouembris recurrentis Anni MDCXXXXIX. Illuſtriſſimus noſtrorum Studiorum Præfectus, ac Regij Sacelli Maior Aedituus D. Ioannes de Salamanca pari omnium voto, aſſenſuq; curam

mihi

mihi tùm habendæ in instauratione Studiorum Orationis, tùm Carminum, aliarumq; Scriptionum demandat. Enimverò Legum Studia nonnihil erant impedimento, & cùm poeseos paleis Legum frumenta certabant. Excussi tandèm fœcundum pectus, & è quodam veluti somnio iacentem Musam excitaui. Operis argumentum aliundè petendum non fuit, cùm ipso in Gymnasio abundè suppeteret. Igitur occasione Theatri, quod in publico Gymnasio cernitur, id nomen huic Pompæ indidimus: Theatrum scilicèt Scientiarum omnium COMITI de ONNATE suo reparatori plaudentium, tùm Phrenoschematis, ac Emblematibus Gymnasij intercolumnia, additis etiàm sua per interualla Odis exornabantur: donèc àd Theatrum deuentum fuit, vbi Scientiarum omnium, quas ibi profitemur aderant simulachra. rem deincèps suo enarrabimus ordine, quo acta fuit. Tu interìm, Amice Lector, nostro Theatro si libet, plaude; nàm mihi vnum in votis, vt scilicèt Dominis auribus gratè accidam, ac possim cùm Claud. exclamare:

Iàm Dominas aures, iàm Regia tecta meremur,
Et chelys ONNATE iudice nostra sonat.

Ex-

Excellentiſsime Domine.

SCientiarum Theatrum, ſiuè Regiæ Neapolitanorum Academiæ Apparatum Librum omni elegantia, omniq; eruditione refertum, non modo ea, quæ digna Principe, àc doctiſſimis Viris iucũdiſſima continere, verùm humanarum Literarum libris, qui ſtudioſis multum lucis adferunt, veluti quaſi facem præferre inueni: Illumq; ob priſcum dictionis genus, quodq; plurima, quæ rem literariam egregiè iuuent, quæq; ad ſtimulum conferant, & exemplum recludant, nihil interim admiſcentem, quod noſtris legibus, honeſtatiquè quoquomodo repugnet, dignum luce exiſtimo, excudiq; meritiſſimum cenſeo. iij. Octobris 1650.

Exc.[tiæ] Tuæ

Addictiſſimus ſeruus
Andreas Genutius.


Viſa ſupradicta relatione IMPRIMATVR

Zufia Reg. Caſan. Reg. Caracciolus Reg. Capiciuslat. Reg. Garſia Reg.

Prouiſum per S.E. Neap. die 3. *Octob.* 1650. Tagliauia.

Regna Sapientibus committenda.

EMBLEMA I.



ARSACIS hostiles poscens cùm Persa phalanges,
Ardua belligeri fræna moueret equi,
Præuius antè rotas, & mille micantia signa
Sublimi curru viuidus ignis erat,
Præuia, vt innueret, nisi sit sapientia Regum,
Non benè regnorum pondera posse regi.
Quid non sperandum Austriacis, sapientia Velez
Dùm præit, & Latij tàm benè fræna quatit?

DESVMPTVM est hoc Emblema ex Ammiano Marcellino lib. 23. historiarum, vbi cùm ageret de bello Iuliani cum Persis, multa illarum gentium moribus disertissimè cumulat, potissimùm verò sollenne apud eas hoc esse refert, vt ignis, quem è cęlo delapsum ratæ sempiternis custodiunt foculis, exiguam portionem, vt faustam præire suis Regibus voluerint: idemq; de Indis affirmat Phil. lib. 2. cap. 13. prętulisse scilicèt faces, quæ in ara Mithræ, hoc est solis essent accensæ. At ignem Sapientiæ symbolum veteribus fuit, vt auctor est Causin. lib. 1. parab. histor. c. 23. Docemur hoc Emblemate non benè Regna administrari, nisi à sapientibus, quod Xenophon in Agesilai historia quambellè demonstrat, & Homerus Vllyssem à sapientiæ laudibus commendat. Vndè arrepta occasione in Excellentissimum Comitem de Onnate diggremur, quem omnibus sapientum Principum laudibus excellere suo bono lętatur nostra Neapolis.

Arsacis) Arsacides primus Parthorum imperium constituit, obscurè quidem genitus, & latronum inter adolescentiæ rudimenta ductor; paulatim verò è latrone bellator, senescente Macedonum imperio ob mortem Magni Alexandri, Pulsis è Persia Græcis, sibi illam asseruit, à quo Persarum Reges se cognominari Arsacidas gaudent, vt nostri Imperatores Augustos, quadere latissimè Ammianus Marcellinus d. lib. 23. histor. pag. 290. vndè illud Mart.


Scis quid in Arsacia Pacorus deliberet aula.



Re-

Ex virtute ſoſpitas.

EMBLEMA II.



QVæ modò terrificam iactabat Gorgona Pallas,
Et Libycas clypeo geſſerat antè minas.

Anguibus excuſſis cur cordibus ægida vallat,
Proquè Meduſæo vulnere viuit amor?

Palladis ONNATAE ſunt hæc inſignia: vitam,
Quam dedit Auſoniæ, cernimus in clypeo.

NOTVM eſt, quod de Meduſa narrat Pauſanias, eam ſc. cùm homines iuxtà Tritonidem paludem habitantes verteret in lapides, Deorum beneficio à Perſeo Iouis, Danaeſquè filio occiſam, eiuſquè caput horridum crinitis anguibus Palladi dono datum, quod illa ſuo clypeo geſtabat affixum, quem vbi concuteret, terrorem hoſtibus quam maximum incutiebat. de Palladis clypeo in hanc ſententiam loquitur Virgil.

Aegidaquè horrificam turbatæ Palladis arma
Certatim ſquamis ſerpentum, auroquè polibant,
Connexoſquè angues, ipſamquè in pectore Diuæ
Gorgona diſſecto vertentem lumina collo.

Nos verò Gueuarenſem Palladem, ſiuè ſapientiam expreſſuri, quę nòn terrorem, ſed vitam ſemianimi Regno contulit, Gorgonis loco, quinquè illius gentilitia corda in Palladis clypeo collocauimus; cor enim ſeptum animæ appellauit Horus Apollo in ſuis Hieroglyficis Καρδίαν ψυχῆς περὶ βολον, quod in ſuam illi ſententiam vertunt, qui animam in corde conſtituerunt, quo pertinet etiàm quod ait Dionyſ. de diuinis nominibus cap. 9. Mentem ſc. reſpondere capiti, opinionem ceruici, pectori, ſiuè cordi animum, cupiditatem ventri, crura verò, & pedes naturam denotare. Quamuis non ignorem Varronem animam per totum corpus diſcriminari in varias propagines affirmaſſe; cuiuſquè enim hominis animam in octo partes diſtribuit; quinquè enim ſtatuit, quibus ſenſiunt homines: ſextam, qua cogitant: ſeptimam, qua progenerant: octauam, qua voces mittunt.


Libycas) Libycas minas adiecimus ad ſignificandam Meduſæ immanitatem, quam Africæ belluam fuiſſe nonnulli putant, vt refert Natalis Comes lib. 7.



Ex


Certa Dux Sapientia.

EMBLEMA III.



QVIS putet? æquoreum prægrandi corpore cætum
Caligat quandò mole ſupercilij,
Muſculus eſt illi ſaxoſa per æquora piſcis
Ductor, in infenſas nè ruat inſidias.
Sic Italis nè terra ruat per tela, per ignes,
Numina Gueuaram conſtituere Ducem.

PLin. lib. 9. cap. vlt. mirum hoc dictu refert de Balæna, & musculo. ait enim Balænam immane illud pelagi monstrum nonnunqnàm adeò superciliorum pondere grauari, vt præclusis ea mole oculis, nesciat quò iter intendat. Tunc verò, Diuina Prouidentia, musculum illi piscem adesse, qui illi prenatans obstantia vada, ac syrtes demonstrat, ideòquè piscis ille à veteribus Balænæ oculus dictus est. Non abs re Balænæ nomine Neapolitanum Regnum significauimus, quod nuperrimè plusquàm Cymmerijs tenebris caligauerat ciuilium armorum supercilio fatigatum; At illi musculi vicem exhibuit sapientissimus Comes de ONNATE, veræ pacis, ac tranquillitatis viam ostendens, ac tyrannicas Guisij Ducis fraudes, ac tricas detegens, quibus ille stultissimum quemq; àd nouarum rerum consilia impellebat.



Virtuti nihil obſtat.

EMBLEMA IV.



IRET in Aethiopas Moſes cùm bella daturus,
Ibidis inductæ caſtra mouebat ope,
Cumquè ipſe exciperet nigrantes belliger alas,
Illa venenatas profuit in pedicas;
Cordis at hæc volucris formam mentitur, & auſus,
Et Gueuarenſis ſtemmatis omen habet.
Scilicèt Alpinas peſtes, ac dira venena
INNICVS è terris expulit Auſonijs.

IOsephus lib.2. iudaicar. antiq. c. 10. auctor est Moysen in expeditione contrà Ethiopas, Ibides aues secùm detulisse, vt exercitum tutum à serpentibus redderet, quibus Ibides sunt infensissimæ: Ibis autèm maximæ venerationi Aegyptijs erat, quòd cordis figuram exprimit, cùm collum, & caput sub plumis abdit, vt refert Ælianus lib. 10. de animal. c. 39. Vide etiàm Orum Apollinem lib. 34. Cor autèm sapientiæ symbolum veteribus fuit. & in hanc significationem accipiunt Hebręi suum לבב. hinc mos ille apùd veteres osculandi pectus. Sic Leonides pater Origenis, dormienti filio sępè pectus osculabatur illud sapientiæ domicilium veneratus. Sic apùd Eunapium Sardianum Progresij sophistæ eloquentiam mirati auditores, eius pectus quasi υμνλογιε τοπον lambebant osculis.

Ad Comitis de Onnate Stemma allusimus, qui non vnum; sed quinque sapientiæ domicilia præfert in stemmate.



Vir-


Auxilium opportunum.

EMBLEMA V.



HAVD vnquàm Casias volucres videre coloni,
Quàm cùm locustis obsideantur agri:
Scilicèt aduolitant locustis bella daturæ,
Et tantam cogunt vertere terga luem.
Quis neget has volucres Heroes esse GVEVARAS,
Tutandis natos Regibus Austriacis.
Nuper in armatos potuit tonuisse Gothunnos,
Nùnc pepulit Gallos INNICVS è Lat o.

APtiſſimum viſum eſt Caſiarum, ſiuè Seleucidarum auium exemplum àd ſignificandum opportunum auxilium, quod Neapolitano Regno præſtitit Excellentiſſimus COMES de ONNATE; ferunt enim, ſi quandò locuſtæ Caſij montis nouales depopulantur, conſpici à colonis aues Seleucidas, quæ in locuſtas inuectæ, magnam earum ſtragem edunt. Non alitèr cùm Regnum Neapolitanum terra, mariquè, hinc Gallorum claſſibus, indè Guisij Ducis ambitione premeretur, & locuſtarum inſtar armatorum millia confluxiſſent, ipſe nihilominùs ea prudentiæ libella rem omnem examinauit, vt deceptos Guiſianarum partium dolis àd priſtinam fidem populos reuocauerit, & Gallorum vota ſapienter eluſerit.



Sapientiæ Pharmacum.

EMBLEMA VI.



DVM morbo implicita infelix Telesilla laborat
Hippocratis frustrà pharmaca multa parat;
Ast vbi Pierias adit obsequiosa Camænas,
In sua præsentem viscera sensit opem.
Momentum est libris tantum. Sic INNICE terras
Dùm curas sapiens, Ciuica bella silent.

DEſumptum eſt hoc Emblema ex Plutarch. in libello de mul. virtut.in Argiuis,vbi hiſtoriã narrat Teleſillæ nobili loco, clariſquè natalibus fœminæ, quæ cùm malè corporis ægritudine mulctaretur, ad oraculum miſit, rationem vt diſceret, qua ſe ab eo morbo poſſet eximere, à quo illi in hanc ſententiam reſponſum fuit, μȣσαν θεραπευειν. Quarè cùm àb oraculo cognouiſſet recepturam ſe à Muſis ſoſpitatem, ità Muſarum ſtudio nauauit operam, vt & incolumis, & poetria non vulgaris euaſerit. Conuenit Teleſillæ factum cùm COMITE DE ONNATE; cùm enim Neapolitani Regni diſſidijs nulla medicina prodeſſet, illius ſapientia opus fuit, vt curaretur.



Sa-

Magnitudo animi.


EMBLEMA VII.



MAgnanimos Elephas inter numeratur Achiuis,
Grandia quòd duplici viſcera corde regat.


At quàm magnanimum tellus canet eſſe GVEVARAM,
Qui quinquè Auguſto in ſtemmate corda gerit.

OCcaſionem huic Emblemati præbuit Aelianus,qui lib. 14. de animal. c.6. ait, Elephantum duplex habere cor, adeòquè Magnanimitatis ſymbolum eſſe putat Cauſinus lib.7. parab. hiſtor c. 36. Vndè meritò, ac iure optimo ad magnitudinem animi Excellentiſſimi COMITIS de ONNATE duximus argumentum, qui in ſuo gentilitio inſigni quinquè corda demonſtrat.



Musæ inter Hispanorum bella non silent.

EMBLEMA VIII.



CVM Lepidi miles mentiti mole Draconis
Cingeret vmbrosum, contegeretq; nemus,
Quæ modò concentu complebant astra volucres,
Vndiquè præcipitem corripuere fugam:
Schemate non alio Musas cùm Marte silere
Nouimus Ausonios edocuisse patres.
Hæc fuerint olim; nàm nùnc moderante GVEVARA
Italiam, arma inter Musa fatigat ebur.

PLinius lib.35.cap.11. de Lepido hiſtoriam ſanè non iniucundam narrat; ait enim: quod cùm ille adhùc triumuiratum ageret, fortaſsè leuandi animi cauſa innemoroſum ductus hoſpitium, cùm volucrum concentu ſomnum capere prohiberetur, poſtero die non ſinè minis apùd milites quæſtus fuerit, ſibi quietem à volucrum concentu ademptam: Illi vt Lepido morem gererent, Draconem in longiſſima membrana depictum luco circumdedere, cuius terrore aues in fugam verſæ, canere ibi deſtiterunt. Appoſitè factum hoc videtur, vt indicaret Muſas inter bella ſilere, quò pertinet, quod ait Cic. in orat. prò Murena; ſimùl atquè increpuit ſuſpicio tumultus, artes illicò noſtræ conticeſcunt; At verò inter Hiſpanorum arma non obſtrepi citharas, nec militares tumultus Muſarum lenitatem obruere, argumento eſt noſter, EXCELLENTISSIMVS PROREX, qui Gallis Salernum obſidentibus, cùm omnia belli formidine quaterentur, tùnc potiſſimum totus erat in literis, reficiquè noſtra Gymnaſia imperauerat; & quaſi


Italus hæc cernens arcum intentaret Apollo
Deſuper, omnis eo terrore Alpinus, & omnes
Irrita ſemineces vertebant terga Sabaudi.



Mu-

Sapientum armis ferocissima quæq; domari.

EMBLEMA IX.



AEquoreis damnata Feris pulcherrima Virgo
Andromeda, Aethiopum in litore iussa mori,
Horrida spectabat squamosis monstra figuris
Surgere barbaricis in sua damna minis,
Cùm procùl aduolitans dissecta Gorgone Perseus
Andromedæ, monstrum, contulit, vltus, opem.
Parthenope haùd aliter ciuilibus obruta rixis,
GVEVARA euasit Ciuica bella duce.

NOTA est fabula Andromedæ Cephei, & Cassiopes filiæ, quæ à Nereidibus scopulo alligata fuit, vt àb immani Cœto deuoraretur non aliam òb causam, quàm quod mater, eam forma marinis nymphis antecellere, iactitasset. At verò cùm Perseus illàc haberet iter, dissecto iam Medusæ capite, vultum illum præcisæ Gorgonis cæto ostendit, cuius aspectu in lapidem versum, ea formidine Andromedam liberauit, vt refert Pausan. in Corynth. & Philostrat. Conuenit cùm Perseo COMES de ONNATE, conuenit cum Andromeda nostra Neapolis seditionum monstris obiecta, sed àb illo asserta in veram libertatem fuit.



Opponendum fatis ingenium.

EMBLEMA X.



Gordius ancipites Asiæ quas nodus habenas
Fecit, Alexandri soluere dextra valet.

Maior erat Regni nodus ciuilis Enyo,
Quam benè GVEVARAE diluit ingenium.

Sic Latium Austriacis, Latio sic reddere vitam,
Sic vitæ potuit reddere Pieridas.

NOTA eſt ex Curtio lib. 3. de rebus geſtis Magni Alexanc Gordij nodi hiſtoria , qui in celeberrima Gordij vrbe vinc lum aſſeruarum tunc temporis refert adſtrictum compluribı nodis in ſemetipſos implicatis, & celantibus nexus. Incolis si aduentum Alexandri in eam vrbem affirmantibus , editam eſſe oracu ſortem Aſiæ potiturum , qui inexplicabile vinculum ſoluiſſet , cupid inquit Curtius , Alexandri animo inceſſit ſitis eius explendæ . Circ Regem erat , & Phrygum turba, & Macedonum, illa explicatione ſu ſpenſa,hæc ſolicita ex temeraria Regis fiducia , quippè ſeries vinculo rum erat ità adſtricta , vt vndè nexus inciperet , quouè ſe condere nec ratione , nec viſu percipi poſſet , ſoluere aggreſſus iniecerat cu ram , nè in omen verteretur irritum inceptum . ille nequicquàm di luctatus cum latentibus nodis : nihil , inquit , intereſt quomodò ſolua tur, gladioq; ruptis omnibus loris,oraculi ſortem vel eluſit , vel imple uit . hæc ex Curtio retulimus. Quæ in COMITEM de ONNATE quam bellè incidunt , quantus enim nodus nuperrima Neapolis ſeditio fuit ? quàm inextricabilis ? vbi tot cæſi , tot deluſi , tot irrito conatu in fugam verſi, Cùm velut è Cœlo miſſus Onnatenſis Comes ità ciuiles illas tricas explicuit , ità nodos omnes aperuit , vt illi ipſi , qui Ciues tot diſſidijs inuoluerant,mirarentur vnum hominem tantum potuiſſe , nec componere ſolum Regnum omne contentus literis etiam auxit,omniaq; in eam reddidit conſonantiam , vt obſtupuerit noſtra Neapolis , pulchriorem ſibi, quàm anteà faciem reſtitutam .



Op-

Virtutem malis obstare.

EMBLEMA XI.



IAMDVDVM Druydis ingenti in relligione fuisse
Dicitur aduersis herba Sabina malis.

Irrita bellorum sonuerunt classica, & omnis
Irrita fortunæ missilis hasta cadit,

Hic faueat siquandò frutex: sic irrita cuncta
Vis hostilis erit, dùm regit arua VELEZ.

SVMMAE venerationi Gallis Druydis herbam Sabinam fuisse refert Plinius, quòd eam existimarent contrà omnem perniciem prodesse, quod aptissimè in COMITE de ONNATE enitet, quem vnum cùm recepimus, mala omnia, quæ nos premebant, euanuisse cognouimus.



Vir-

Vigilantia.

EMBLEMA XII.



QVi vigiles ſpectas pelagi Delphinas in vndis,
Tempora queis ſegnis non rapit vlla ſopor,

GVEVARAE ſimulachra vides: vigilantior alter
Non fuit Heſperia in gente, nec alter erit.

SVmptum eſt hoc Emblema ex Æliano lib. 11. de animal. cap. 12. vbi Delphinum ait perpetuo motu præditum eſſe; Cùm enim ei neceſsè eſt ſomnum capere, ſummã in aquã elatus, itaut videri àb omnibus poſſit, ſomnum capit, atq; ità dormiens in profundum tamdiù demittitur, quoad imam ſedem maris attingat, àd quam poſtquàm funditùs demiſſus eſt, terræ pulſu è ſomno excitatur, deindè iterùm emergit, ac iterato ſomno eadem, qua priùs ratione, àd pelagi fundum demiſſus, expergiſcitur, ac rursùs eminet, & in hunc modum inter quietem, & actionem agens, inquit Cauſinus, nunquàm omninò à motu quieſcit. hoc vigilantiæ exemplum immanè quantùm noſtro Proregi conuenit, qui vt Silius de Annibale affirmabat

-------------- credit abſcedere vitæ
Quod ſopor eripiat tempus.

Et hac ratione latentes perfidorum hominum inſidias, qui conſueti iàm vitam àd harpagonem ducere, ac rapto viuere, turbare diuinitùs nobis redditam pacem, ac nouas res moliri ſtudebant, detexit, ac diſſipauit

-------------- infame nocentum
Concilium, qui perpetuis creuere rapinis,
Et quos vna facit bellandi cauſa ſodales,
Illicitum duxiſſe nihil, fruſtràq; viciſſim
Promittunt quas quiſq; petat, quas deuoret vrbes.



Vi-

Mite ingenium.

EMBLEMA XIII.



PISCIS àb auſpicijs ſortiti nomina Faſten
Prodigioſa quidèm qui monimenta legis,
Quòd ſalſam quam potat aquam, mòx reddere dulcem
Poſſit, GVEVARAE ſymbola certa vides,
Qui rabidas Latij dulcedine diluit iras,
Iratas docuit mittere & arma manus.

FASTEN piſcis huic Emblemati cauſam dedit, qui, vt refert Vincent. lib. 18. c. 54. ſiquandò maritimam aquam ore captat, illa in eius ore fit dulcis. Noſtro bono id experti ſumus in Excellentiſſimo COMITE de ONNATE. ardebant quammaximè ciuilia bella, cùm ille Roma diſcedens, vbi noſtri Auguſtiſſimi Regis orator agebat, Neapolim petijt. O diem illam gemmeo ſignandam lapillo! vix eius aduentus fama percrebuit, vix eius prudentis vnà, mitiſquè ingenij allatus eſt nuncius, cùm pacis conditiones cęptæ ſunt agi, tùm illo ad componendam reliquam, quæ defecerat, vrbem, accedente, vbi auditum eſt non bellatorem adeſſe; ſed patrem, ONNATE COMITIS arma pacem ferre, non pugnam. Exarſere pari omnium aſſenſu illæ voces non ſinè lætitiæ lacrymis. Viuat æternùm noſter Auguſtiſſimus Hiſpaniarum Rex, qui tàm mitem, tàm clementem Principem hùc miſit.

ſemper placidis ſe moribus egit,
Seruauitquè pium populis, nec polluit vnquàm
Laurum ſæuitia, ciuem nec fronte ſuperba
Deſpicit, aut trepidam vexat legionibus vrbem.



Mi-

Bonis auſpicijs inhærendum.


EMBLEMA XIIII.



TVtus vt in medijs fatorum fraudibus eſſet,
En Molys fruticem cautus Vlyſſis habet.
Candidus eſt herbæ color: hanc Cyllenius ales
Dulichio fertur exhibuiſſe duci.
GVEVARAE tamen hæc decedat Homerica Moly,
Cedere qui fatum compulit ingenio.

DElegimus ex Homero nobiliſſimum hoc Emblema; ait illę indicaſſe Mercurium Vlyſſi herbam Molym, vt à Circes veneficijs tutus eſſet. Alluſimus hoc Emblemate àd noſtrum Proregem, qui fęliciùs, quàm Molys frutex fata, quæ è Circęis fraudibus Vlyſſi imminebant, eluſit, imminentia Neapolitano Regno bellorum mala ſummo, prudentiſſimoq; ingenio diſpulit, ac diſiecit:

Hoc duce, ſi qua fuit ciuilis buccina belli,
Irrita perpetua ſoluit formidine terras.



Bo-

Felicia fore regna, si sapiens imperet;

EMBLEMA XV.



M*AEONII quondàm diuinum carmen Homeri*
Discipulos Reges concinit esse Iouis,


Vsquè adeò Reges nulli virtute secundos,
Consilio nulli cedere sceptra iubet.

Talem equidèm Austriaci mentem reputo esse Philippi,
GVEVARAM Italiæ qui iubet esse Ducem.

MVTVATI ſumus hoc Emblema ex Homero, qui Reges Iouis diſcipulos eſſe ait

ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες

Sapientiſſimus autem Iuppiter fuiſſe perhibetur, vtpotè ex cuius capite Pallas enata ſit. hinc conuerſi ſumus àd noſtrum Auguſtiſſimum Regem, quem vel ex eo ſapientiſſimum eſſe conſequens eſt, quòd Principem ea ſapientia præditum Neapolitani Regni admouerit gubernaculis, qualem noſtrum Proregem eſſe experimur.



Virtutum ſeges.

EMBLEMA XVI.



INter odorati quæ florida iugera veris
Quos primùm dubio pollice Nympha legat,
Addubitat flores, Latias hoc ſchemate Muſas
Indicat ONNATAE in nomine ſollicitas,
Cuius tot radiant virtutum florida ſigna,
Vt dubitent primum quem recinant citharæ.

COnuenit Nympha in floridiſſimo campo corollam intexens dubia quem primùm è tot pulcherrimis floribus colligat cùm noſtri gymnaſij profeſſoribus, dubitantibus, quam magis in noſtro Prorege virtutem laudent, cùm omnes in illo ſummæ ſint ac ſingulares:

Narrem iuſtitiam? reſplendet gloria Martis.
Armati referam vires? plùs egit inermis.
Quòd floret Latium, Latio quòd reddita gaudet
Parthenope, tellus quod neſciat Itala Gallum.
Tuta quòd eiectis plaudit Germania Gothis.
An poſitis armis, formidanteſquè Britannos
Fama teſte canam? magnum mihi panditur æquor,
Ipſaquè Pierios laſſant procliuia currus
Laudibus innumeris: etenim mortalibus ex quo
Tellus cæpta coli, nunquàm ſincera bonorum
Sors vlli conceſſa viro: quem vultus honeſtat,
Dedecorant mores: animus quem pulchrior ornat,
Corpus deſtituit. bellis inſignior ille,
Sed pacem fædat vitijs. hic publica felix;
Sed priuata minùs. partitum ſingula quemquè
Nobilitant, hunc forma decens, hunc robur in armis.
Hunc rigor, hunc pietas, illum ſollertia iuris,
Hunc ſoboles, caſtiquè tori. ſparguntur in omnes;
In te mixta fluunt, & quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.


Virtute nihil præstantius.

EMBLEMA XVII.



TANTVM virtuti magnum impendebat honorem
Olim Critolai Stoica libra ſenis,
Altera pars trutinæ quamuis pretioſior eſſet,
Flauaquè Phryxeæ vellera ferret ouis,
Penderet & pelagi gemmas, nitidoſquè pyropos,
Eraquè ab Iſthmiacis viuere iuſſa rogis.
Critolai decede tamèn nùnc libra GVEVARAE,
Virtuti nemo conſuluit meliùs.

CRitolaus Peripateticæ sectæ acerrimus propugnator, corporis, & fortunæ bona in vna lance collocabat, in altera tantùm virtutem; sed vnicam virtutem aiebat cęteris bonis præponderare. Non aliter noster Prorex omnia àd virtutis amussim examinans, illa tantùm habet in pretio, in quibus virtus elucet.




Virtus medetur aduersis.

EMBLEMA XVIII.

CVm telis elephas petitur, sua vulnera oliui
Floribus, & tuta Palladis arte leuat.

Non aliter Latij curaret, vt INNICVS vrbes,
Auxilio tantum Palladis egit opus.




AElianus lib. 2. cap. 18. auctor eſt, ſaucios elephantos oleæ floribus infixa corpori tela excutere; at verò oliua Palladi ſacra eſt. quare hoc ſchemate àd ſapientiam COMITIS de ONNATE reſpeximus, qua ille ciuilia tela excuſſit, ac ſedauit.



Eloquentiæ vis.

EMBLEMA XIX.



ANCHORA quæ curuo componitur aurea morsu
Indis eloquij ſymbola certa dedit.

Italici poſthàc memorabitur aurea Regni
Anchora, dùm firmat tranſtra Latina Velez.

PHilostratus in vita Apollonij lib. 3. c. 3. refert Indos olim auream anchoram caducei loco habuisse, quòd omnia coerceat. Allusimus hoc Emblemate nostro Excellentissimo PROREGI, cuius eloquentia mirum quantum nostris periculis profuit:

Ac veluti magno in populo cùm fortè coorta est
Seditio, sæuitquè animis ignobile vulgus.
Iamquè faces, & saxa volant: furor arma ministrat,
Tunc pietate grauem, ac meritis, si fortè virum quem
Conspexere, silent, arrectisquè auribus adstant.
Ille regit dictis animos, ac pectora mulcet.



Elo-

Securitas.

EMBLEMA XX.



ACCOLA Niliacæ dirus Crocodilus arenæ
Tardatur pennis Ibidis inter aquas;
Ibis at effigiem cordis ſimulare videtur,
Quod præfert nobis ſtemma, GVEVARA, tuum.
Scilicèt vt latè tremerent hoſtilia monſtra,
INNICVS in Gallos debuit arma dare.

HORVS Niliacus lib. 77. refert Crocodilum improbissimum animal, si penna Ibidis defricetur, adeò obtorpescere, ac debilitari, vt pristinam omnem amittat immanitatem, reddiquè immobilem, suiquè impotem. Quis prohibet dici de Gallis hoc posse, cùm eorum classes per hæc nostra maria viderimus aduolantes minarum plenas, grauidasquè bellorum, delectaquè in sedem belli Prochita insula, in Salerni litora quasi de victoria certos exposuisse, ac muralibus tormentis in obsessam vrbem detonasse. At verò vt àd Gallorum aures deferretur missum àb Excellentissimo COMITE de ONNATE exercitum iam aduentare, & è Nucerinis saltibus imminere, quænàm illa formido, quinàm Gallos metus inuasit, vt palantem in fugam effusi pristinæ iactantiæ obliti certatim in suas naues aufugerent, pleriquè in nostrorum militum potestatem peruenerint, & muralia illa tormenta, quibus illi victoriæ fiduciam reposuerant, capta, ac delata Neapolim, ludibrium, ac iocus sint puerorum. Quis inquam hæc meditatus, Ibides illas in GVEVARENSIBVS expressas cordibus, in causa fuisse inficiabitur?

Exuti vallis, fusiquè per auia Galli
In puppes rediere suas. pròh damna pudoris!
Qui modò tàm vastis Latium petiere carinis,
In quos iàm dubius sese librauerat orbis,
Tàm celerem rapuere fugam. cape terra triumphos
Itala, & ONNATAE Comiti pete Nestoris annos,



Vir-

Animi candor.

EMBLEMA XXI.



PISCIBVS *esse ferunt citharis albentia corda,*
Implicita vt nullis fraudibus esse notent;
Candidiora tamèn patrij tibi stemmatis esse
Corda vel ipse facis INNICE docte fidem.
In ciues sic mitis amor, sic candida recti
Norma, & in Austriacos sic benè notus amor.

ATHENEVS lib. 7. ait, Cytharum piſcem habere καρδίαν λευκὴν, κὲ πλατεῖαν, ideſt cor album, & latum. Alluſimus hoc Emblemate ad gentilitia noſtri Excellentiſſimi PROREGIS corda, eaquè candida eſſe diximus òb ſincerum in populos amorem, cùm totus ſit in publica Neapolitani Regni vtilitate

--------------- Hinc ſæcula diſcant
Indomitum nihil eſſe pio, tutumquè nocenti.
Non ille oblitus ciuem, cedentibus vltrò
Partibus ignouit, non inſultare iacenti
Maluit; at mitis precibus, pietatis abundans,
Parcus & in pœnas, paci non intulit iram,
Pòſt acies, bellis idem qui terminus armis.
Profuit hoc veniente capi, populiq; viciſſim
Abiectis armis commendauere GVEVARAM,
Magnarum largitor opum, largitor honorum,
Pronus, & in meliùs gaudens conuertere fata.



Ani-

Ex arduis æternum nomen.

EMBLEMA XXII.



ECCE triumphalis ſecta è ceruice Meduſæ
Pegaſus elatis ſurgit in aſtra iubis,
Et famam ſic diſce tuam generoſe GVEVARA
Promere compoſita ſeditione caput.
Illius àd nomen ſeri plauſere Triones,
Et ſonat Herculeum iàm tua geſta mare.

PEgasum ex dissecto Medusæ capite natum esse, quid aliud indicat, quàm famam ex arduis nasci. Rectè hoc nostro Excellentissimo PROREGI conuenire quis ignoret, cùm è recis Neapolitanæ seditionis capite, idest capto Guisio Duce, qu Neapolitanæ plebis seditionem fouebat, omniquè tumultu mira so lertia composito, æternum sibi nomen, ac perennem famam com parauerit:

Vndiquè iàm populi plaudunt tibi, Magne GVEVARA,
Et tua iàm totus resonat præconia mundus.
En grates Campanus agit, quòd tutus àb armis,
Et metuens hostile nihil, noua culmina totis
Aedificet villis, & rapta palatia flammis
Cæmentis reparet, Xystisquè exornet amænis.
Hinc Samnis cumulat laudes, quod rura tyranno
Libera possideat. hinc seditione leuata
Parthenope Regina maris speciosa Latini
Rursùs cote nouat nigras rubigine falces,
Exesosquè situ cogit splendere ligones,
Agnoscitquè casas, & collibus oscula notis
Figit, & impresso glebis non credit aratro.
Nec minor in plausus Calaber dùm vitibus arua
Conserit, & segetum dùm respicit Appulus vndas,
Exilit in laudes, Lucanæquè accola terræ.
Scilicèt Italiæ quæcumquè amiserat olim,
Tu reddis, solo poterat veniente GVEVARA
Crescere tàm magnum vulnus tectura cicatrix.




Ex

Amor ex virtute.

EMBLEMA XXIII.


VIS *Hecatoncephalæ miracula noſcere plantæ?*
Cogimur hac tactum ſemper amare virum.

GVEVARAM haud alium virtus pulcherrima fecit,
Non amat hunc excors, non amat exanimis.



PLinius lib. 22. c. 8. miram huic herbæ virtutem inesse refert; enim, quod siquem tetigerit, fit ille amabilis. Non aliter affi mari de nostro Sapientissimo PROREGE poterit, qui òb mira virtutem, & comitatem àb omnibus amatur, ac colitur.

Quanti tùnc iuuenes, quantæ spreuere pudorem
Spectandi studio matres, puerisquè seueri
Certauere senes, cùm tu, fugiente tyranno,
Libera Carmelæ petijsti limina portæ.



Amor


Certa Salus.

EMBLEMA XXIV.



QVI ſedes animæ, vitæ qui pabula quærit,
Cordis àb exigua ſedulus arce petat:
Tantiſper ſi cor dimoueas, animantia cernes
Exuuias inter exanimata ſuas.
Quàm benè gentili præfers in ſtemmate corda
GVEVARA Auſoniæ vita, decuſquè plagæ.
Felix Parthenope, duce te, nè nutet in vno
Corde ſalus, quinquè corda, GVEVARA, geris.


CORDI principatum vitæ veteres tribuere, vndè nonnulli vitę arborem expreſſuri, cor effinxere, vt ait Philo Iudęus in legis allegorijs his verbis: οἱ δὲ λέγουσι τὴν καρδίαν ξύλον εἶναι ζωῆς ἐπειδὴ αἰτία, &c. Quod aptiſſimè cadit in Gentilitia **ONNATENSIS COMITIS** corda, à quibus vitam hauſiſſe Neapolim palàm eſt omnibus, quod pluribus commendarem, niſi par omnium aſſenſus, ac plauſus mihi vocem obſtruerent.



Certa

Concentus ex virtute.

EMBLEMA XXV.



EVnomi citharæ, fracta cum dissona chorda
Plectra forent, iuuit parua Cicada fidem:

Illa vices fractæ retulit dùm prouida chordæ,
Victricem decuit gloria parta manum:

Concentum Regni sic dùm turbaret Enyo,
Vidimus ONNATEN coaciliasse melos.

NOTVM eſt, quod de Eunomo citharędo refert Clemens Alexandrinus in protreptico àd gentes, qui cùm de cantu cùm Rhegino citharædo certaret: rupta fortaſsè chorda, victoriã illi dubiam conſtituerat, cùm cicada effractæ cordæ locum occupans, illius ſonum expleuit, victoremquè Eunomum conſtituit

Muſa loci, nemoris, Siren, innoxia Siren.

Quis hoc de COMITE de ONNATE non audeat affirmare? harmonia Neapolitani Regni ità turbata erat, vt expes eſſet illius concentus, niſi ONNATE COMES reſtituiſſet.



Con-

Suos habet Bellerophontes Hiſpania.

EMBLEMA XXVI.



BARBARA quæ rapidis armauerat ora fauillis
Formido Lyceij torua Chimæra iugi,
Ceſſit, vt aligerum cohibens àd fræna iugalem
Bellerophon certa mitteret arma manu;
At quàm Palladium direxit certius ictum
INNICVS Hiſpani gloria rara ſoli.
Bellerophonta ſuum ſileat mentita vetuſtas;
Hiſpani veros Bellerophontas habent.

NOTA est ex Pausania in Corynthiacis Bellerophontis fabula, qui Bellerophontem narrat inuectum Pegaso Chimeram petijsse, ferroquè eam debellasse.


At maior erat Chimera plebeiæ seditionis, quæ eas euomuerat flammas, quæ Prouincias omnes perdidissent, nisi in spem affuisset Excellentissimus COMES de ONNATE, qui venit, vidit, vicit.



Vitam ex prudentia.

EMBLEMA XXVII.

MIRATVR *quisquis fluuij portenta Sicani,*
Extinctæ vitam quo reparatis aues,
Obstupeat potiùs gesta àd miranda GVEVARAE,
Sireni vitam qui dedit examini.




MIRVM sanè est, quod de Siculo quodam Fluuio narrat Arist. in admirandis cap. 28. qui ait, Fluuium esse in Sicilia, in quo aues suffocatæ, si fuerint immersæ, reuiuiscunt. Allusimus hoc Emblemate Sapientissimo ONNATENSI COMITI, in cuius manus cùm functa iam vita, seditione tùnc maximè ebulliente, Neapolis? incidisset, suę pristinæ fidei est restituta.



Con-

Innocentia.

EMBLEMA XXVIII.



QVà ſcythico ſurgit tellus regnata colono
Quis putet? Agnæa grandia poma vides,
Omnia par agno dependet àb arbore pomum,
Tantùm è natiuis non ſalit arboribus.
GVEVARAE quantùm referunt hæ ſimbola plantæ,
Agnæam caſtis moribus ille refert.

SVrius Autor eſt in Commentario ſui temporis, quo vitam Caroli V. deſcribit, eſſe in quadam Scythiæ inſula arborem, quæ fructus inſtar agni edit, eos innocentiæ fructus àd integerrimos, & innocuos, noſtri COMITIS mores traximus.



Veni, vidi, vici.

EMBLEMA XXIX.



VERTIT in infirmos quandoquè Charadrius ora,
Perdere non illos impia fata valent.

Sic cùm Parthenopem vidit GVEVARA ruentem
Firmauit solo lumine præcipitem.

OBVIVM est; quod de Charadrio traditur, eius aſpectu ægrotantes in recuperandæ valetudinis ſpes euadere. Sic noſter Excellentiſſimus COMES, vt Neapolim venit, viditquè vicit obſtantia, conualuitquè illicò regnum.



Veni,

SEQVVNTVR PHRENOSCHEMATA,

Siuè

IMPRESIAE

CVM SVIS LEMMATIBVS,

Quę in eadem Neapolitana ACADEMIA

Excellentiſsimo

COMITI DE ONNATE

Plauſerunt.

Phrenoſchema I.



ARCANIS TRAHIMVR MODIS




HIC eſt lapis INDICVS, quem Pantarbam vocant, qui v
ait Philoſtratus lib. 3. cap. 14. admirabili fulgore collucet, om
neſquè lapides inſtar examinis apum àd ſe pertrahit, ac conci
liat.

Vix autèm aliud ſymbolum noſtrum Excellentiſſimum COMITEM
magis exprimit, qui duriores quouis lapide plebeias iras ità concilia
uit, & àd ſuos nutus traxit, vt natus conciliandis populis videatur.



Phre-

Phrenoſchema II.



IN COEDES.




IAspis ſanguinē reſtringere naturalium rerum Scriptores prodider Rueius lib. 2. de gemmis Iaſpidis meminit, quam Galenus in d gito geſtaſſe dicitur, in qua cernebatur homo faſciculum herb collo compoſitum gerens, cuius virtus omnes morbos diſcernebat ſanguinemquè reſtinguebat.

Libet hic exclamare, quis ciuilem ſanguinem reſtinxit Neapoli? qui cruentatas ſicas è furentis vulgi manu extorſit primus, niſi Excellentiſſimus COMES de ONNATE? hic IN CÆDES adhibendus fuit, hi in ſeditiones, vt illas in tranquillitatem verteret, has in amorem.



Phre-

Phrenoſchema III.



ADEST SVA GRATIA MVSIS



ISidorus lib. 16. originum c. 13. apùd Indos potiſſimùm Lychnidem lapidem inueniri ait lucernarum inſtar habentem, à quibus & nomen mutuatur: Eum à ſole excalefactum chartarum fila àd ſe trahere refert.

Alluſimus hoc Phrenoſchemate àd noſtrum Excellentiſſimum COMITEM, qni chartas quidèm àd ſe trahit, vt in illis tot præclariſſima rerum àb eo geſtarum monimenta ſcribantur.



Phrenoſchema IIII.






ANihias hic pisces expressimus, qui Æliano teste si socios suos positos in discrimine nouerint, enatant statim, humerisquè impositos periculis eximunt.

Et quis est, quem lateat hosce pisces nostri Excellentissimi PROREGIS symbolum esse. Occideramus omnes, nisi nos sua ille seruasset singulari prudentia. Acta res erat, nisi in tempore COMITIS ONNATENSIS obstitisset virtus.



Phre-


Phrenoſchema V.





ELectrum,ſiuè intrà marinos ſcopulos generetur, ſiuè in Eridani arenis, vt inquit Pauſanias ἐν τοῦ Ἠριδανοῦ ταῖς σπανίζεται ψάμμοις εὑρίσκεται τά μάλιστα certum eſt paleas àd ſe trahere, vt ait Iſidorus lib. 16. cap. 6.

Hoc ſymbolo prouidentiam quammaximam noſtri Excellentiſſimi COMITIS expreſſimus, qui ità infimi cuiuſquè ciuis curam habet, laboratquè nè vlli vel abiectiſſimæ ſortis hominibus fiat iniuria, vt verè ſuum adeſſe patrem ciues omnes fateantur.



Phre-

Phrenoſchema VI.



QVACVMQVE BEAT



NILVM in comperto eſt omnibus reſtagnantibus, aquarum riuulis fæcundare Aegyptum, vt Italiæ quondàm horreum credita ſit Aegyptus, vt conſtat ex Plinio in panegyrico Traiani, & ex Claudiani carmine de Nilo


Aegyptus ſinè nube ferax, imbreſquè ſerenos
Sola tenet, ſecura poli, non indiga venti,
Gaudet aquis, quas ipſa vehit, Niloquè redundat, &c.

Mirum autèm quantùm noſtro Excellentiſſimo COMITI competat Nili Phrenoſchema, cuius charitas, & amor tàm longè, latèquè patet in ciues omnes, vt omnes de illo prædicent, quod de Manuele Comneno canebant Græci, hunc ſc. eſſe mare magnificentiæ, abyſſum miſericordiæ.



Phre-

Phrenoſchema VII.





ISidorus lib.16.c.18.Autor est hydrargirum,siuè argentum viuum vasa omnia argentea, ærea, ferrea, lapidea, & cætera obiecta perforaret,vnum tamèn vitrum nō vnquàm lædit,huic vni fidem seruat, vt Causinus cecinit hoc carmine

Conspicuos inter naturæ splendet honores
Fusilis argenti species, cui plurimus Hermes
Incubat, & pleno liquidum se numine fundit.
Nempè Deus gestit viuis animare metallum
Flatibus, & tenues argento claudere vitas.
Ignea vis infusa micat, leniquè fluentem
Materiam tractu penetrat, non inditus humor,
Terreniuè hebetant ortus, miniataquè massa.
Quod si constrictum vinclis, & carcere cæco
Impedias, furit vsquè tamèn, lucisquè cupido
Indignata premi, vacuas se librat in auras,
Mulcibri cùm vis infesti admota lacessit,
Et tumidam irritat cæcis feruoribus iram.
Siuè auri retinere paras, siuè aggere ferri,
Siuè etiàm affini vinctum sociare metallo,
Emicat, obstantemquè ingrato pondere molem
Rumpit ouans, magnoquè potens vorat omnia nisu.
Ast viuaces motus constringere vitro
Fert animus, sentit quassas hoc obice vires,
Corpora frustrato pertentat vitrea morsu,
Ceù quandò allisi possunt ad litora fluctus,
Aut vis indocilis Boreæ, cùm flamine rauco
Proludit, tentatquè viam, si fortè seuero
Aeolus hunc adamante ligat, cadit improbus auræ
Impetus, & fractam recoquit sùb pectore bilem.

Hydrargirum quis neget fuisse plebem, cùm omnia excuteret,nulloquè posset moderamine regi? quis verò nesciat, vt vitro hydrargirum, ità COMITIS de ONNATE prudentia Neapolitanam plebem compositam fuisse, & àd Regis obedientiam reuocatam.


Salue inuicte Heròs non concessure Quirino
Laudibus, ac meritis non concessure Camillo.

Phre-

Phrenoſchema VIII.




BLANDO VIS LATET IMPERIO



FLVVIVS Tacito meatu fluens Optimi Principis ſymbolum Claudiano fuit in Conſulatu Manlij Theodoſij Imperatoris


Lenè fluit Nilus; ſed cunctis amnibus extat
Vtilior, nullas confeſſus murmure vires;
Acrior at rapidus tacitas prætermeat ingens
Danubius ripas: eadem clementia ſæui
Gurgitis immenſum diducit in hoſtia Gangem.
Torrentes immanè fremant, lapſiſquè minentur
Pontibus, inuoluant ſpumoſo vertite ſyluas.
Pax maiora decet. peragit tranquilla poteſtas,
Quod violenta nequit, mandataquè fortiùs vrget
Imperioſa quies

Quo ſymbolo aptiſſimè noſtri Excellentiſſimi COMITIS clementiam, & humanitatem expreſſimus, cùm pacandæ Neapoli victor acceſſit, quęnàm illa manſuetudo fuit, cùm in neminem ferrum ſtringi iuſſerit, Hiſpanas cohortes pacem ferre docens, non bella.



Phre-

Phrenoſchema IX.



Deus nobis hæc otia.




CApellæ inter ferocissimas belluas impunè, citràquè cruorem oberrantes, honestiores ciues indicant, inter plebeias manus ducentes vitam, tutam quidem illam, nullisquè turbelis obnoxiam, Excellentissimi COMITIS de ONNATE beneficio, ac prouidentia

Antè leues ergò pascentur in æthere cerui,
Et freta destituent nudos in litore pisces:
Antè pererratis amborum finibus exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quàm nostro illius labatur pectore vultus.



Phrenoſchema X.






DE Abaride Scytha memorant veteres, emiſſam àb eo ſagittam à Grȩcia ad vſquè Hyperboreos Scythas euolaſſe, vt Suidas Autor eſt.

Hoc nos Abaridis telo arma COMITIS ONNATENSIS ſignificamus, qui àb Hyperborea gente reggreſſus in Hiſpaniam, indè ſagittȩ inſtar Neapolim venit, vt motam elideret ſeditionem, tùm compoſita Neapoli, Yluam deuicit, eiectiſquè Gallis ſuo Regi Auguſtiſſimo vectigalem fecit, perindè quicunquè mundi terminus obſtitit, hunc tangit armis viſere geſtiens, qua parte debacchentur ignes, qua nebulæ, pluuijquè rores, ſperamuſquè excurrente hoc iaculo à noſtro meridie àd extrema terrarum, totum ſub ſua ſigna orbem àd Auſtriacam peruenturum fidem.



Phre-

Phrenoſchema XI.



FVLMINE CREVIT




CEraunium lapidem in montibus ſulmine ictis generari naturalis hiſtoriæ Scriptores aſſerunt.

Quis id àd noſtrum Excellentiſſimum COMITEM non referat, cuius eximia, ac verè heroica virtus inter bellorum fulmina emicuit potiſſimùm.



Phrenoſchema XII.





T e Galea


HOrologium præalto impoſitum pegmati ſymbolum certiſſimum eſt noſtri Excellentiſſimi COMITIS, miranda quippè res eſt moles horaria, certa per interualla horarum ſigna excludens, ſed maior intus eſt labor, maioraquè latent, quàm magis enim obſtupeſcet, qui internum illius machinę artificium contempletur? ſpectaret enim vt inquit Strada

Artis opus miræ. àd terram reuolubile plumbum
Nititur, & ſpiris throclea verſat onus.
Pondere àb hoc motus: nàm dùm vi vertitur axis,
Dentatas cogit mordicùs ire rotas:
Morſu illo implicitos, obuerſoſquè orbibus orbes
Pendula ſuſpenſo examine libra mouet.
Aeneus hinc turri monitor ſonat, & ſimùl horas
Mobilis inſcripto lingula in orbe notat.

Non aliter qui compoſitam Neapolitani Regni molem videt àd noſtri Excellentiſſimi COMITIS nutum, qui receptam tàm ſubitò Yluam, qui tot illius præclariſſimas in Germania res geſtas, aut in Anglia ſciat maiora intùs latere, animum ſcilicèt tàm magni Herois non vni tantùm Orbi; ſed innumeris gubernandis parem.



Phrenoſchema XIII.



VIVIT MEDIO CLEMENTIA FERRO.



GALEA in apiarium versa cùm lemmate , *viuit medio clementia ferro,* nostri Excellentissimi COMITIS paci,belloquè parem animum denotat , qui ità galeam induit , vt non sit àd feritatem composita ; sed àd pacem , sciatquè medijs in armis clementiam adhibere , quasi non aliò pertineat eius ensis , quàm vt contumaces suam,vel inuiti lenitatem experiantur. Respeximus etiàm hoc Phrenoschemate àd studia pacis, quæ inter tot bellorum fremitus benè habere iussit , nec literas armorum barritibus terreri ; sed tuta veluti in statione consistere imperauit , in hoc etiam Scipionibus compar ; nàm vt Claudianus cecinit :

Maior Scipiades , Italis qui solus àb oris
In proprium vertit Punica bella caput .
Non sinè Pierijs exercuit artibus arma ,
Semper erat vatum maxima cura duci .
Gaudet enim virtus testes sibi iungere Musas.
Carmen amat quisquis carmine digna gerit .




Phre-

Phrenoschema XIV.



PRO CVNC TIS SVFFICIT VNVS



SOLINVS Autor eſt lapidem Hexecontalithon, quo maximè gloriantur Atlantes, ſexaginta gemmarum colores in paruo eius orbiculo complecti, quaſi in eo collocare voluiſſe natura videatur quidquid in cæteris ſparſiſſet lapillis, idem de hoc lapillo teſtatur pòſt Plinium Iſidorus lib. 16. originum cap. 12.

Ecquis hoc Phrenoſchemate nõ animaduertit Inuictiſſimi COMITIS ONNATENSIS virtutes exprimi, in quo omnes enitent illæ, quæcumq; in alijs omnibus poterunt inueniri, vt propterea aptiſſimè in illum cadat Rutilij carmen

Natura hic poſuit quidquid vbiquè fuit.


Aut illud Claudiani

------------& quæ diuiſa beatos
Efficiunt, collecta tenes.



Phre-

Phrenoſchema XV.





SAlaminios ingentem habuisse nauim narrat Plutarchus in Pericle, quam àd res magni momenti seruabant.


Salaminia Hispani Monarchæ nauis omnium assensu vocari me retur noster Inuictissimus COMES, àd magna quæquè Hispanorum rerum momenta seruatus, siuè inferenda sint bella, seù repulsanda; siuè recuperanda sint regna, seù defendenda: siuè expugnanda præsidia, seù constituenda, quod breui lemmate satis expressimus. Magno seruatur in vsus.

Hic res Ausonias magno turbante tumultu
Rexit eques: strauit Gallos, Yluamquè recepit,
Italaquè Austriaco seruauit scæptra Tonanti.
Totus in arma licet concusso fœdere mundus
Irruat, Alpinis coeant licet arma Gothunni;
INNICVS Alcides dùm Regna Hispana tuetur,
Gallus & extremi vertent sua terga Sueci.




Phre-

Phrenoſchema XVI.



EX VIRTVTE SECVRITAS.




VIncentius Autor eſt, Monocerotem prodeſſe quammaximè agen tibus in Africa belluis; cùm enim òb magnam ſerpentum in illis regionibus copiam pellucidi, plerumquè amnes veneno in ficiantur; Monoceros admirabili, qua præditum cornu iacta virtute, aquas expurgat. Igitur illius veſtigia cęteræ belluæ ſectari ſo lent, & àd fontem cunctari, donec ille intincto cornu, aquarum eluerit omnemquè veneni ſuſpicionem deleuerit, quo facto tutæ iàm illæ, & hilares lymphis ſitim reſtingunt.

Quouis erat veneno peius ciuile bellum. sed cùm ONNATE CO MES apparuiſſet, quicunquè eius ſunt ſigna ſectati ſumus, perniciem il lam euaſimus.



Phre-

Phrenoschema XVII.



Obnoxia

Sontibus




FRaxini vmbram ſerpentibus infenſam eſſe nemo eſt, qui neſciat, quod de Inuictiſſimo ONNATE COMITE dici aptiſſimè poterit, qui ſontibus adeò obnoxius eſt, vt illa ſicariorum colluuies, quæ viuendi nobis ſecuritatem ademerat, nè vlla quidèm ſui veſtigia reliquiſſet.

--------------- non inſidiator oberrat
Facturus quemcumquè reum: non obruta virtus
Paupertate latet, lectos ex omnibus oris
Inuehis, & meritum, nunquàm cunabula quæris,
Et qualis, non vndè ſatus. Sùb teste benigno
Viuitur. Eggregios inuitant præmia mores.




Phre-

Phrenoſchema XVIII.



IMMOTVM INMOTV




COElum ſymbolum eſſe magnorum virorum, cùm ad illius inſtar perpetuò moueantur, quippè qui grauiſſimis aguntur curis, & quos, vt aiebat Veſpaſianus ſtantes oportet mori, colligitur ex Latino Pacato in habita àd Theodoſium panegyri, dùm ait. Gaudent profectò diuina perpetuo motu, & iugi agitatione ſe vegetat æternitas, & quidquid homines vocamus laborem, veſtra natura eſt. Vt indefeſſa vertigo cœlum rotat: ità tu Imperator continuatis negotijs, & in ſe quodàm orbe redeuntibus ſemper exercitatus es.

Alluſimus hoc Prenoſchemate àd noſtrum Inuictiſſimum PROREGEM, quem Hiſpani fortuna Imperij maximis quibuſquè periculis exercuit, probauitquè àd Aras Flauias, omnemquè Germaniam, & toto diuiſos orbe Britannos; Nuperrima verò Italia area fuit, quæ illum velut è cœlo dimiſſum veneraretur: Romæ primùm, mòx Neapoli, quam non contentus ſedaſſe motam, firmare etiàm voluit, ac ſtabilire eiectis tàm felicitèr àb Ylua Gallis, ea tot inter rixas, ac bella conſtantia; vt cœlo quamſimillimus videatur, vt enim illud circumagentibus ſe ſideribus immotum, ac conſtans manet, ſic illa Magni I N N I C I maxima virtus enituit, non pallore ſuffuſa, non territa; ſed ſibi ſemper vbiquè conſtans.



Phre-

Phrenoſchema XIX.



NVL LA DIES ADI MET




IRIS in ſacris literis æterni fæderis inter Deum, & homines ſymbolum eſt. Vndè nos illud hauſimus àd ſignificandum æternam forè nobis pacem, quàm tantus vir Italiæ reddidit.

Nil INNICI non efficient manus,
Quas & benigno ſidera numine
Tuentur, & curæ ſagaces
Expediunt per acuta belli.




Phre-

Phrenoschema XX.



VRGET AMOR SOBOLIS.




TErrestris Echinus spinis non vno fructu onustis, Prouidentiam nostri Excellentissimi COMITIS apprimè exprimit, quippè qui pacata Neapoli, nè rei frumentariæ inopia Ciuitas laboraret, suo censu emi frumentum, importariquè Neapolim imperauit

Se phariæ quamuis iactent Nilotidis vndæ
Luxurie gentes, segetum quod plurima campis
Pompa tumens, Meroes valeat saturare phalanges.
Parthenope solo gaudet defensa GVEVARA
Immissam risisse famem, nec fata nocebunt
Quandoquidèm Magni niteat prudentia VELEZ.




OMNIVM SCIENTIARVM.

Phrenoſchema XXII.



EX CLVDIT IC TVS



VVlgatum eſt,quod de lauro traditur, ſolam inter arbores fulmi-
nibus non peti. Id nos Excellentiſſimo COMITI de ONNA-
TE aptauimus, qui ſolus inter tot bella inuictus ſemper, victo-
riam reportauit

Pòſt Gothicas acies, plebis pòſt bella Latinæ
Nutantes trepida Gallos expellis àb Ylua.
Sic Latio ceſſere hoſtes, quererentur vt omnes
Parthenopi te ſerò datum, victoria velox
GVEVARAM eſt ſectata Ducem, nec profuit hoſti
Turrigeris hæſiſſe locis, ſpes irrita valli
Concidit, & paſſis patuerunt lilia portis.



Phre-

Phrenoſchema XXIII.



SERVATIS OMNIBVS




TRES hic à nobis Coronæ expressæ fuerunt, laurea sc., oleagina, & graminea cùm lemmate, seruatis omnibus, laurus quippè nostro Excellentissimo COMITI debetur òb tot victorias reportatas. Debetur & olea, quæ sedanti Ciuicas seditiones imponebatur. Graminea deniquè corona debetur òb solutam Salerni obsidionem, tempestiuo milite Gallis eiectis. Quid ni quernam etiàm debeamus, cùm non vnum tantum Ciuem; sed quotquot Neapoli degunt àb intestini, externiquè Martis incommodis asseruerit:

Nàm tibi quæ poterunt prò tantis præmia reddi
Palmis, aut quantæ pensabunt facta coronæ?
Non solam populi vitam debere fatetur
Te sibi Parthenope; sed quod iucundius esset
Lucis honoratæ fructu, venerabile famæ
Pondus, & amissas vires, & regna recepit.




Phre-

Phrenoſchema XXIV.




INGENIIS PATVIT CAMPV[S]



PEgaſus in planitie obequitans noſtri Lycæi ſymbolum eſt, ſubiectus illi campus fauorem noſtri Excellentiſs. COMITIS indicat, qui ſqualentes inopia literas in ſpes non vulgares erexit, & fore ſperamus, vt primo quoquè tempora mercedes, annuæquè nobis præſtationes conſtituantur, vt quam literis vitam noſter Excellentiſſimus COMES prꝺſtitit, iuuet etiàm alimentis.

Hinc priſcæ redeunt artes: felicibus indè
Ingenijs aperitur iter, deſpectaquè Muſæ
Colla leuant, opibuſq; fluens, & pauper eodem
Nititur àd fructum ſtudio, cùm cernat vterquè,
Quod nec inops iaceat probitas, nec inertia ſurgat
Diuitijs.



Phre-

Phrenoſchema XXV.



COLLECTA NITENT



COmpendiarius Mundi globus translatus hùc etiàm à nobis fuit, vt ostenderemus, quemadmodùm in illo collecta enitent miranda quæquè naturę miracula; non aliter in nostro Excellentissimo COMITE omnium retrò exacti temporis Heroum virtutes, ac res gestas effulgere, vt suo bono experitur nostra Neapolis,

Princeps Latino Cæsare dignior,
Eques Gelonis imperiosior,
Maior bipennium stringere Noricis,
Quæ digna mentis laus erit arduæ?
Quæ digna dextræ laus erit impigræ?
Te Læda mallet, quàm dare Castorem.
Præfert Achilli te proprio Thetis.
Victum fatetur Delos Apollinem.
Credit minorem Lydia liberum.



Phre-


LYRICAE SCRIPTIONES,

QVAE SINGVLIS PHRENOSCHEMATIS ERANT SVBIECTAE, QVO CONCINNIOR ESSET APPARATVS,

Placuit perindè, eas quo ordine collocatæ fuerant, poſt Phrenoſchemata hic ſubijcere.

ODE I.

ÆTATVR ITALIA ADVENTV COMITIS de ONNATE.



O Qui me furor Entheus
Phœbum è colle biuertici
Cogit àd Latias plagas
Blando ducere murmure?
Quo vatem rapitis Deæ?
Quod Numen citharæ datis?
Nùm Cælo reduces suas
Terras Indigetes petunt?
An maior quis in Aonum
Mentes spiritus incidit?
Ast ò, dùm loquor, igneam
Nubim Iuppiter excutit.
En læto tonuit sono
Læuum. Numen àb æthere
Delapsum video nouum.
Exultant Zephyri leues,
Et tellus, & in Italis
Campis exiliunt rosæ.
Nosco Magnanimum Ducem
Regni sidus Iberici,
Quo viso Rhodani fugam
Deuictus capit incola.
Salue fulgòr Iberiæ.
Nostræ pompa Neapolis:
Hostes quo duce concidunt,
Et ciues Italos beant
Tanto Fædera vindice.

ODE II.

LAVDES EX.mi COMITIS DE ONNATE

Ob eiectas è nostro Regno Gallorum classes, quæ Duce Thoma Sabaudo Salerni litora inuaserant.

HVc ò nitentem lauream,
Hùc dona præliorum
Afferte Diuæ Pieres,
Dum rector Italorum
Cingendus est adoreà,
Decusquè Cantabrorum:
Alpina classis fulminum
Tentarat æneorum
Litus Salerni turbine
Vexare; sed decorum
GVEVARA sidus Hesperi
Vesana Gallicorum
Retrò coegit nubila,
Minasquè classicorum.
Cessit Sabaudus impotens,
Rumorquè liliorum,
Dùm noster ensis fulminat
In damna barbarorum.
Omnes in hostem cuspides
Arsere saniorum,
Enses in hostem ciuium
Fulsere notiorum.
Pugnabat armis INNICVS,
Dextrisquè Campanorum,
Qui bella libris hauserat
Certanda doctiorum.
Tu tuta Siren Itala
In ense GVEVARORVM,
Precare menses INNICO,
Diesquè Pyliorum.

ODE

ODE III.

EXCELLENTISSIMI COMITIS DE ONNATE
Virtutes commendantur.

REGNA vellent nùnc Catones,
Frena poſcerent Fabrici,
Sceptra Cocles, Brutus aulam,
Si GVEVARAE contigiſſet
Sidus illis intueri.
Quidquid Auſonum theatra,
Quod Cleanthes, quod Chryſippi,
Quod Platones edocebant,
Quidquid Aonum sùb vmbra
Docta concinit Thalia,
Cuncta regnant in GVEVARAE
Sparſa pectoris receſſu.
Ipſe Pallas, ipſe Phæbus
Ipſe Ianus viſus alter.
Cede retrò Galla Enyo,
Bella ridet noſtra Siren,
Claſſiumquè, fulminumquè
Martiales apparatus.
Liliati bella veris
Ridet INNICVS colonus;
Ille Gallicæ noualis
Culta demetet timenda.
O Beatas Heſperuci,
Quas GVEVARAE dextra ducit,
O carinas inuidendas,
Quas Iberus argonauta
Perquè fluctus, perquè ſyrtes,
Perquè bellicos tumultus
Nare ſoſpites adegit.

ODE IV.

EXCELLENTISSIMVM COMITEM DE ONNATE

Sanguine, ac Literis clarum esse.

O *Dux Arsacio sanguine clarior,*
Princeps Argolica Pallade doctior,
Quem Galli metuunt, quem penitus Gothus,
Quem timet Getici Luna Borysthenis
Dignum conciliet quem tibi barbiton?
Quam dignam meritis exhibeat tuis
Laudem Pieriæ cultor Amimonæ?
Si te Nestoreum dicere Principem
Tentet, belligeræ gloria laureæ
Dici Pierio pectine postulat.
Inter si trabeas, INNICE, fulgidum
Te chordæ resonent, consilium sagi
Martis fulmineam poscit ad aleam.
Pugnasti capulo tàm benè prælia,
Vt laudes Phrygij viceris Hectoris.
Nec si te memoret nùnc Agamemnona,
Mentitur meritas gloria laureas.
Vrbes Ausonias tàm benè temperas,
Vt ciues reputent aurea sæcula
Rursùs Italicis reddita mænibus.
Te si conspiceret incola Caucasi,
Aut potor Tanais, non alio Duce
Vellet Austriadum legibus imbui.
Te missis peteret Nuba bipennibus,
Et quas Oceanus dissipat insulis
Gentes, te Meroe, te peteret Lybis,
Et quos Leuconoe roscida prospicit.

ODE V.

XCELLENTISSIMVM COMITEM DE ONNATE
Sedatis Bellis Musas Neapoli restituisse.

TAndèm depositis minis,
Quas Galli furor inquies
Centena rate contumax
Nostris detulerat plagis,
GVEVARA Duce Pegasus.
Hùc Musas iterùm vehit.
Illas Martius impetus,
Et sæuo fera milite
Bellonę tuba peruicax
Tràns cautes, & inhospitas
Rupes egerat exules.
At nùnc dùm Sapiens regit
Vrbes INNICVS Italas,
Exultant reduces Deæ.
Cunctæ lætitia fremunt
Gentes, ac populi Latì,
Dùm nomen sonat INNICI
Doctum, magnanimum, pium
Pindi buccina Castalis.
Felix Parthenope nimis,
Quę tanto Duce fulguras,
Dùm regnat Sapiens, licèt
Codani maris accola
Insurgat Gothicis tubis.
Alpinę licet euolent
Iuratę dare prælia
Classes, & procùl æneis
Pugnas exacuant globis;
Tuto tu tamen otio
Luces ducere gestias,
Cùm tanti sapiens tibi
Sit, quanti Patriæ salus.

ODE


ODE VI.

VNAM COMITIS DE ONNATE MENTEM Veterum omnium Philosophorum scholas æquasse.

LAVREA doctum redimite crinem
INNICI Musæ, potis est palestras
Qui Mycenæas superire mente, &
Moribus vrbes.
Quidquid Actæas radiabat inter
Porticus, quidquid Peripaton inter
Magna Stagiræ, veterisquè mundi
Pompa docebat,
INNICI docto resonant in ore.
Hùc àb Argois Sapiens Athenis
Ingenì flores, Academiæquè
Transtulit vmbras.
O Latinorum nimiùm beatas
Nobiles vrbes, Sapiens GVEVARA
Quas regit, tantis decoratquè fausta
Alite donis.
Iàm queri syrtes veteres sinamus,
Totquè Bellonæ mala dissidentis,
Illa si tantùm peperisse nobis
Debuit Astrum,
Quod procellosas cohiberet vndas,
Quod foret nostris Helice carinis,
Nè latus nimbis Aquilo, vel audax
Perderet eurus.
Anchora puppim cohibet Latinam
Prouidus custos Italæ biremis,
Africus quàmuis tumeat, notiquè
Aequora turbent.

ODE VII.


LAVDES EXCELLENTISSIMI COMITIS DE ONNATE òb assertam è bellis Neapolim.



FATA pòst belli, rigidumquè Martam
En procùl pictas olea carinas
Cerno Campanas remeare læto
Murmure terras.
Ecquis Heroum prohibere rixas
Classicum nuper Latio inferentes?
Exulem quisnàm valuit Latinis
Reddere pacem?
Atticæ mecùm volitate Musæ,
Ocior ventis vaga dùm per astra
INNICI tollor celebrare leni
Pectine laudes.
Plaudat è seris Orientis oris
INDVS. algenti geminent àb vrsa
Sarmatæ plausum, referatquè nostra
Càrmina Calpe:
Et maris pinus gemini coronans
Indè lætantem terat Adrianum,
Claustra Tyrrheni secet hinc nitenti
Murice Nereus.
INNICI exultent scopuli trophæis,
Victa Gallorum speculemur arma
Gæsa brachatæ, lituosquè, cana &
Lilia gentis
Sint triumphalis decora alta VELEZ,
Qui mari, & terra procùl aduolantes
Reppulit Gallos furiata circùm
Bella minantes.

ODE VIII.

INVITANTVR OMNES TERRARVM ORBIS NATIONES
Ad virtutes Excellentissimi COMITIS de ONNATE suspiciendas.



O Qui sepositi procùl
Eggressi iuga Carpati,
Aut gentis mare Caspiæ,
Niliquè auia flumina,
Aut Albim glacie pigrum,
Quo virtus latitet loco
Industri petitis pede.
Vos qui classibus horridum,
Virtutis studio, mare
Tentatis benè prouidi.
Huc ò, quò Zephyri vocant
Passa vertite lintea.
Quà terras regit INNICVS
Stellantis decor Hesperi,
Sidus Ausoniæ nouum,
Campanis Helice suis.
Si quod fama loquacibus
Nuper detulerat lyris
Votum est cernere, litora
Sirenis petite Italæ.
Quidquid sparsit in Atticis,
Quidquid Numen in Italis,
Aut in pectora Bracmanum
Virtutis, dedit INNICI
Totum mente sùb intima.
Recti hæc meta, nec Herculis
Vltrà tendite terminos,
Quos fando dedit INNICVS.

ODE

ODE IX.

LAVDES EXCELLENTISSIMI COMITIS DE ONNATE
Ob eiectos è Salerni obsidione Gallos.

IAM minax ferrò, galeaquè turgens
Barbaris Gallus metuendus alis
Nescium vinci quatit obstinata
Classe Salernum.

Vidimus canum Ligerim retortit
Culmine Alpino violentèr vndis
Ire Picentum generosa bello
Claustra petentem,

INNICVS dùm consilio minaces
Pugnat in turmas, Rhodaniquè classes,
Sternit, & Gallos malè contumaci
Ense frementes.

Sensimus Francham caluisse pugnam,
Luna dùm Thracum meliùs periret,
Stricta Rhenanæ vitio cohortis
Sensimus arma.

Quem Ducem Siren Latij ruentis
Inuocet rebus? sua Gallicanus
Marte quo pulsus fugitiua condet
Spicula miles?

Nostra cui partes daret in Sabaudum
Bellicas Siren? potis est GVEVARA
Gallicum ferro pepulisse nostra ex
Vrbe timorem.

Ille in Alpinas vbi se cateruas
Intulit stricto metuendus ense,
Fusus imbellem sua signa vertit
Hostis in Alpem.

Cessit Alpinæ ferus hostis oræ,
Sensit vt nostrum trepidus GVEVARAM,
Aegra tùm ponto sinuat vocatis
Carbasa ventis.

ODE X.

ALIORVM ALIA ESSE STVDIA; AT COMITEM DE ONNA
Totum esse in Sapientia, qua Duce Neapolis bella sedauit.

O Gentilitijs pompa nitoribus,
O & Mæonijs addite laureis
Seruator Latij prouidus, INNICE.
Sunt quos Thessalicos inter acinaces
Raptat armisono gloria puluere,
Seù centumgeminæ iuuerit oppida
Cretes Euganeis cingere puppibus.
Seù per turrigeræ litora Tusciæ
Gallos naumachia fundere nobili.
Hunc si Nausichaæ mitia iugera
Delectet nitidis pingere floribus.
Illum Dædalijs pendere molibus
Si Semiramios iuuerit hortulos
Gaudentem fluuio credere ductili
Bacchas, auricomæ flumine Lydiæ
Nunquàm dimoueas, Martis vt horridis
Vallatus phaleris, & galea tumens
Inuadat Scythicis bella securibus.
Multos tecta iuuant, & Parijs pilæ
Ductæ marmoribus, signaq; Mentori
Dedolata: tument mille decempedis
Extructa artifici lege palatia,
Seù Xystum libeat, seù specularia,
Seù pellucidulos addere riuulos.
Te virtus niueo conscia pectori
Dimouit populo, te nitidus pudor,
Et seruata choris Indigetum fides
Adscribunt superis. dùm mea temperat
Euterpe citharam, viuidus integri
Diceris Latij tutor, & imperi.

ODE

ODE XI.

SOLAS MVSAS HEROVM NOMEN ÆTERNVM Constituere.

SINE montium Lysippe
Animare saxa cælo,
Et àb Africę latebris,
Parioquè colle ductas
Latè columnas INNICO componere
Tumulare dùm columnas
Fera temporis duella,
Rabiesquè barbarorum
Potuere; sed GVEVARAE
Aeternet vna Clio nomen inclytum.
Vbinùnc superba Memphis;
Rhodijquè nunc colossi,
Vbi Romuli theatra,
Phidięquè sunt labores,
Inuoluit illa tempus edacissimum;
Potis vna sed Thalia
Superire damna læthi,
Potis vnus Hippocrene
Superare bella Lethes,
Viuunt perennem Pindicæ vitam Lyræ.
Sonat vsq; Dardanorum
Chelys arma Mantuana,
Tuba Cæsaris trementem
Sonat vsq; per Larissam,
Adhùc triumphos illius tellus sonat.
Sonet vna nomen ergò
Chelys INNICI decorum,
Canat omnis & trophæa
Chorus, illius, sororum,
Patrem Latinæ gentis ingeminet polus.

ODE XII.

FAMAM COMITIS DE ONNATE TOTO ORIE Diuagari.

INTERMISSA diù lyra
Rursùs Mæonio carmine nobilis.
Certat te ſuper ardua
Terrarum ſolito non ſinè Numine
Iamnùnc, INNICE, tollere.
Ibis sùb pedibus quà niuibus pigra,
Et quà Piniferis iubis
Motantes apices Acroceraunia
Licturus, procùl auijs
Rareſcunt humeris ſparſa roſaria
Cynthi: non humili iugo
Abſcedunt gelidi culmina Pelij.
Leni vectus àb Africo
Ibis quà Patago, quauè Peruuius
Errant, & rigidi Dahæ.
Te famæ bijugis per liquidum æthera
Vadentem peniti accolæ
Diſcent Oceani. Flumina Viſtulæ
Qui potat pigra Concanus,
Qui Nili latices, & celerem ſequi
Tigrim. deſine ſoſpitis
Tandèm Parthenopes: fama potens Lyrę
Dùm te conuocat, INNICE,
Et iàm Pierium detulit eſſedum,
Mandenſq; aurea Pegaſus
Lora, laurisono, non patiens morę,
Hinnitu, impiger excitat,
Seſſoremq; ſuum te ciet INNICE.

ODE

ODE XIII.

AVREAM ÆTATEM ESSE SVB EX.MO COMITE DE ONNATE.

QVI nouari vellet annos,
Aureiq; nomen æui,
Cùm nouales poſſidendas
Nulla cautes terminalis,
Arbiterq; diſtineret.
Cùm tumentem nulla pinus
Aere Nereum ſecaret,
Nec tubarum clangor ira
Perſonaret Martiali,
Nec ligones paſſa tellus,
Ferreiq; damna raſtri;
Sed nitentes ſpontè culmos,
Spiceaſq; ferret vndas,
Nec reciſa vinitoris
Falce vitis expedita;
Sed retorti nulla ferri
Iuſſa turbinem ſubire
Dona Maſſici Lyæi,
Nectariſquè ferret imbres.
Cùm nefanda labe nulla
Nupta polluit cubile,
Quin & auri comparandi
Aeſtuaret nec cupido.
In decoro tale Numen
Intuebitur GVEVARA.
Ceſſit impotens Erynnis,
Quæ Latinos implicabai,
Ceſſit impotens Erynnis,
Quæ Latinos implicabat,
Ceſſit ira, ceſſit ignis,
Cauſa ceſſit & duelli,
Dùm Latina lætus æquis
Regna lancibus gubernat.

ODE XIV.

PARES OMNES ANIMI DOTES ESSE IN NOSTRO PROREGE.

ET tristis Liger, & Sabaudus atrox,
Et classes procul ite liliatæ,
Hispanis oleis micent triumphi,
Et lætas agat Hesperus choreas:
Solem laurigeri vehant iugales
Palmis GVEVARIDVM decoret annos,
Et menses hilares, diesquè Cælum.
Iamtùnc Pieriam recludat aulam
Phœbus Mæoniæ decus palestræ.
Festis aduolitent lyris Camœnæ,
Et Pindi sonet INNICVM recessus.
Quisquis tràns Meroem, pigramq; Thulen
Doctus Palladijs inhæret vmbris,
Et Lycnis vigilis studet Cleanthis
Argumenta suis velit GVEVARAE
Libris: non alius potis videri
Cæris aptior, aptiorq; cedris.
Par hic belligeri tubis Gradiui,
Seù terra velit ille fulminare,
Et turgens adamantino galero
Iras per medias agat cohortes,
Seù classes tumidusq;, barbarusquè
Cogat belligeris volare coris.
Par idem calamo, Deisq; Pindi,
Par hic moribus integri Catonis,
Assurgant licet auiæ Mycenę
Pellæi Sophia nimis Dynastę;
GVEVARAE tamen ingenì decori
Cedant & Macedum, Atticiq; mores,
Vnus qui veteres, sophosq; Reges
Deuicit calamoq;, buccinaq;

ODE

ODE XV.

MEMORATIS GVEVARÆ GENTIS HEROIBVS In nostro Excellentissimo COMITE consistimus.

QVEM ducem, aut quem Gueuaridùm Thalia
Sumis Heroem cithara canendum,
Cuius extremi generosa discant
Nomina Chini.

Qua priùs dices fide laureatum
Sancium, qui barbaricas in alas
Victor, Hispanam maculasse Mauro
Sanguine terram

Fertur? an VELAE speciosa dices
Gesta, quam prolem memores Nauarræ
Iactitant fasti, sonat & benigno
Colle Pyrene?

Fulmen in diros neq; te Suecos
Laurea canos redimite crines
Præterit Pindus, benè, seù Gothunnos;
INNICE, cædas?

Siuè nutantem Austriadum tiaram
Impiger firmes, Duce Ferdinando,
Ductor Alpinæ licet acer oræ
Bella moueret.

Te catenatæ Vahalis phalanges
Castra Nordlingæ capulo metentem
Nuper expertæ, per aprica Scaldis
Stagna sequuntur.

Crescit occulto velut amne Nilus
Fama bellacis nimiùm Parentis;
Quantus astrorum micat Hesperucus
Inter at ignos,

INNICI nomen radiat secundi,
Nostra qui prudens moderator arua
Theutonis splendor, Latiæquè gentis,
Splendor Iberæ.

ODE XVI.

COMITIS DE ONNATE AVSPICIIS TOTVM TERRARVM ORBEM Subactum iri.

QVIDQVID Senecæ tibia cecinit,
Cùm venturos dixerat annos,
Quibus Oceanus vincula rerum
Laxet, & ingens pateat tellus,
Typhisq; nouos detegat Orbes,
Nec sit terris vltima Thule,
Hoc GVEVARAE contigit æuo,
Qui consilio victor, & armis.
Quidquid in Vrsa Gothus ademit,
Quidquid Latio Guisius atrox,
Dedit Austriacis Regibus vnus:
Ibi Parentis, quà glaciali
Arcet àb vnda plaustra Boote,
Signa secutus, hic non alia
Alite victor, quàm Palladia,
Et mihi liceat ventura sequi
Si fatidico carmine: iamnùnc
Lusi video reduces acies
Ope GVEVARAE figere pedibus
Sera Dynastæ en oscula Iberi.
Video ciues hinc Gothalaunos
Dextram tanti stringere Cupidos
Ducis, Alpinas mittere glacies.
Ferus Hollandæ ciuis arenæ
Iram excussus, & bella sequi
Res Austriacas volet amplecti:
Nullus & extrà limina mundi
Barbarus agitat, quem sapientis
Signa GVEVARAE non Imperio
Dent Hispano. scilicet hæc laus,
Hoc sapientis decus Herois
Erit; abrumpat licet inuidia
Ilia doctis inimica modis.

ODE XVII.

INDVLGENDVM CITHARIS, PVLSIS AB EXCELLENTISSIMO COMITE DE ONNATE Bellis.

SVſpenſa tuis ſume ſalictis
Nablia Clio ſume canora.
Ceſſere faces, & furor improbus,
Qui modò Latias preſſerat vrbes.
Fugit auſpicijs pulſa GVEVARAE
Bellona truci pallida ferro.
Pax ecce leues candida bigas
Iungit, & Italas permeat arces.
Suſpenſa tuis ſume ſalictis,
Nablia Clio ſume canora,
Sapiens noſtras dùm regit oras
GVEVARA poli ſidus Iberi.
Crinem ſpicis redimita Ceres
Iubet Auſonias alma nouales
Segetum latè titubare iubis.
Venit Erigone rursùs àb aſtris
Cupiens noſtras habitare caſas,
Tanta eſt recti Duce GVEVARA
Norma Latinis addita Regnis.
Suſpenſa tuis Sume ſalictis
Nablia Clio ſume canora.
Properet tecùm turba ſororum,
Omnis àb Hæmo chorus Aonidum
Volet in Tyrio nobilis oſtro.
Diſcant Zephyri, diſcat & eurus,
Aquilo laudes diſcat & INNICI,
Vt cùm pennas fortè per Vrſam,
Per & Occiduæ litora Calpis
Vertent: roſeos quauè iugales
Laxat in albis Matuta rotis;
Totus nomen perſonet INNICI
Aptum Muſis nomen, & armis.
Plauditquè pari murmure mundus.

ODE XVIII.

LYRA ÆTERNITATEM COMPARARI.

ATTOLLANT alij pilas,
Et cæsæ spolijs Pari
Bellacis decus INNICI
Testentur benè seduli.
Sint & saxa Numistica
Qui cœlis animent suis.
Argoo Phidię licet
Surgant qui inuidiam creent,
Et cæsis Ligurum iugis
Pellæo similem duci
GVEVARAM statuant meum.
Scissis crinibus obuia
Passa Parthenope coma
Imploret decus INNICI.
Occursu illiùs horrida
Belli classica Ciuici,
Et mutæ iaceant tubæ.
Parte stent aliæ truces
Galli consilio fugæ,
Vertant colla comantia,
Et gæsis, & inanibus
Exuti galeis tremant.
Classes dissipet Africus
Syluas Alpis inhospitæ
Ausas Italicum mare
Stultis poscere lilijs.
Hanc saxis animam dare
Contendant Phidiæ manus,
Dùm Pindi meliùs Lyra,
Aeterno & decus INNICI
Cogor dicere carmine.

ODE

ODE XIX.

COMITIS DE ONNATE LAVDIBVS

Nullas inueniri pares citharas.

QVO te dicere carmine
Conetur Polyhymnia?
Qua Phœbus valeat lyra
VELEZ dicere nomina?
Nùm qua fortis Vlyssei
Vates Mæonius decus
Inter Semideos tulit?
An qua Dardanium ducem
Mantous cecinit Maro?
An qua viuida Pindari
Quondàm concinit indoles
Certatas in Olympicis
Ludis, aut Nemees vices?
Centauros an, & arduas
Qua Regum cecinit tubas?
Prome nùnc alias lyras
Clio nomen àd INNICI:
Qualem non Macedum plaga
Quondàm Semideum tulit,
Qualem non Latium genus
Inter Scipiadas suos,
Magnum cernimus INNICVM.
O, me tollite præpetem
Euri tràns iuga Pindica;
Tràns nubes, & Olympici
Culmen verticis arduum,
Vt siqua hic latet INNICI
Aptam nominibus chelym
Leni pollice temperem.

ODE XX.


EXC.MI COMITIS DE ONNATE VIRTVS COMMENDATVR in eijciendis è Salerni obsidione Gallis.

AVREIS Clio quid agam cothurnis,
Quid velint lauri, citharæq; blando
Incitæ pulsu, volitansq; Pindi è
Vertice cantus.
Eccè festiua galea decoræ
Edocent plausu comitante Lætè
INNICI turmæ, modò cùm tumentes
Perderet Alpes.
Mitte captiuas Heliconis oras,
Et leui Clio per inane curru
Vecta quà turres, & aprica surgunt
Claustra Salerni.
Dic vt Alpinas equitum cateruas
Rebus angustis animosa virtus
INNICI retrò propè funeratis
Reppulit armis.
Dic vs æratas speculatus alas
INNICI Gallus, galeasquè, & hastas,
Et triumphales aquilas, fugaces
Vertit habenas,
Tingere Hispanas pauidus bipennes,
Et Latinorum socia arma, latè
Turgidas classes repetens, & euris
Carbasa laxans.
INNICI virtus tibi luctuosas
Expulit Siren Latialis Alpes,
Non Getas posthàc metuas, GVEVARA
Bella fremente.
Quin & irati latus omne mundi
Ferueat quamuis tumidum duellis,
Hunc ducem Siren meditata, nullis
Occidet armis.

ODE XXI.

MAIOREM NVNQVAM HEROEM TERRAM PEPERISSE.

Qui COMITI de ONNATE conferri valeat.



Ponticas Typhis petiturus vndas
Antequàm velum sinuaret euris
Prodigus vitæ, patrijquè spretor
Liminis audax,
Litorum primas relegebat oras;
Sed reluctantes vbi per procellas
Impulit tonsas, didicitq; Nereî
Ferre tumultus.
Atticæ pigras fugiens arenas
Vertit antennas medios per æstus
Ausus vndosis dare laureata
Transtra periclis,
Et timor nostram modò qui Thaliam
Egit argutas cecinisse syluas
Cedat. Herois ciet en GVEVARAE
Phœbus àd arma.
Terra non vnquàm tulit vlla maius
Numen. haud vllæ cecinere chordæ
INNICO maius, meliusuè dudùm He-
roe Latinæ.
Ille ciuilis furiale belli
Reppulit fulmen, vacuamquè rixis
Italam terram docuit beatam
Viuere vitam.
Iuuit annona populum, deditquè
Literas nostris iterùm Lycæis,
Culmen & regni Erigones tuetur
Lancibus æquis.

ODE

ICONES SCIENTIARVM,

QVAS
IN NEAPOLITANI
GYMNASII THEATRO
NOSTRO
EXC.^{mo} COMITI
PLAVDENTES INDVXIMVS.

RHETORICA.



ECquid in Augusto magis enitet ore GVEVARAE,
Quàm decus eloquij, quàm benè culta Charis?

Ingenij non vna nitent miracula: virtus
Non vna illius moribus apta nitet;

At mihi quò fieret magè debitus, eminet vna,
Qua mala composuit ciuica, Rhetorice.



DIALECTICA.



TALE decus Logices præfers, seù gymnade certes,
Gordia dissidij vincula siuè seces,

Græcia vt ingenio cedat tibi victa, GVEVARA,
Et vetus inuentis cedat Agrippa tuis.

Præmia nè certent reliquæ mihi tollere laudis
Pierides, vici Principis ingenio.



DIA-

PHYSICA.



ILLA ego ſum Phyſice non vltima pompa GVEVARAE,
Hunc ego quem mundum nùnc regeret, docui.

Edocui motus, Latij atquè hinc non benè mota
Addidicit VELEZ vertere diſſidia.

An mihi quæ certent reliquæ ſint Palladis artes?
Cùm me vna meliùs fulguret arte VELEZ.



METAPHYSICA.



TRaijcere ætherios Orbes, atquè astra GVEVARA
Mecùm vnà humano doctus es eloquio.

Non sat erant telluris opes, prouincia Cælum
Ingenio facta est, Magne GVEVARA, tuo.

Par erit & nostram magè te coluisse palestram,
Quàm reliquis faueas Palladis Indigenis.



MATHEMATICA.



ILLA ego belligeræ mentis fęcunda Mathesis,
Quæ Pyrrhum docui castra locare Ducem,

Non numeris contenta meis, non arte fuissem,
Ni numeros VELEZ adderet ipse suos.

Nec mihi si reliquæ VELEZ certabitis artes,
Arma inter palmam detrahet vlla mihi.



MA-

MEDICINA.



CIVILIS fuerat iàm desperata Galeno
Alea, & huic aderat nulla medela malo;

Vnus at Italiæ potuit GVEVARA mederi,
Cuius & hùc reduces venimus auspicijs.

Ergò erit ille meo magis excipiendus honore,
Qui nouus Hippocrates dicitur esse Latì.



ME-

IVRISPRVDENTIA.



THEATRVM

L*ANCIBVS his leges metiris, & Itala Princeps*
Regna, ò, Semideos inter habende VELEZ.

Ipſa iterùm Latios acceſſi Aſtræa Penates,
Aurea dùm rursùm ſæcula terra gerit.

Ergò ſibi qui te certant adſcribere VELEZ,
Erigones certant tollere dimidium.



IVS CANONICVM.



VTRAQVE iura tibi curæ ſunt, vtraq; calles
Quæ ſacra ſanciuit, quæq; profana Tibris:

Tàm benè Cæſareas tutaris & INNICE leges,
Quàm benè Pontificum dogmata Romulidùm;

Illa tamèn veterum cedant tibi iura Quiritum,
Pluris GVEVARAE eſt relligionis amor.



THEOLOGIA.



THEATRVM

VNA quidèm, Gueuara, tuum mihi vindico nomen,
Charum nomen es ò INNICE cęlitibus.

Adstitit vna tuis cœli ſapientia rebus,
Vna humiles populos reddidit vna fidem.

Felicem Austriadùm, duce te GVEVARA tiaram,
Quo duce non ullas ſentiet illa minas.



THEO-

Super has Scientiarum Icones inter pensilis ambulachri, quod me-
dios secat Theatri parietes, proiecturas, Tabula erat nostri Ex-
cellentissimi COMITIS Imaginem referens mira Iosephi Reueræ
expictam solertia, è regione solij constituta, quod ille insessurus
erat. Illi hoc Elogium suppositum erat:

HAC THEATRALI POMPA
Arcani Theatri lusimus imaginem tui,
Princeps Sapientissime.
Hæc scientiarum, quæ tibi plausum excitant, signa,
Illarum sunt simulachra,
Quæ tuo in animo, suo veluti triumphant in Capitolio.
Nil mirum igitùr,
Si pòst bellorum iacturam, ac intestini Martis incommoda
Reuiuixerint literæ,
Quæ in tuis gentilitijs cordibus vitam inuenerant.
Gaudeat suo bono Neapolis,
Quas fregerat tyrannus literas, Hispanus Princeps asseruit.
Erunt qui tibi colossos statuant, qui peristylia,
Vt tantum exprimant Principem.
Certabunt æra marmoribus.
Graijs Latini Lysippi creabunt inuidiam;
Literatorum tamèn hominum gratæ vices
Aeterno hoc monimento
Te Literarum vnà, Regniquè Reparatorem testabuntur
G. N. P. D. Q.

Ita erat nostri Theatri facies, cùm àd statam horam inuitatus à no-
stro Gymnasiarcha Excellentissimus COMES in nostram Aca-
demiam iter intendit. Comitabantur incedentem præter Pro-
regalis Palatij stationarios milites, nonnullæ Hispanorum
turmæ àd maiestatem compositæ. vbi àd Gymnasium ventum
fuit, Hispanæ turmæ præ foribus constitere, COMES ipse
ipso in vestibulo humanissimè exceptus fuit àb Illustrissimo D. Ioan-
ne de Salamanca, ac Professoribus omnibus nostri Gymnasij, qui

ſuis cùm inſignibus aderant (quod inſtitutum Excellentiſſimo Lemenſi Comiti acceptum referunt) vbi autèm àd Theatrum progredi cœpit, vnus è Rhetorices candidatis D. Hieronymus Lanfrancus Cauenſis Epiſcopi Nepos, puer eximiæ indolis, hanc àd illum Oratiunculam habuit:

Ades, EXCELLENTISSIME PRINCEPS, Hiſpani Athlas imperij, vtriuſq; Heſperiæ Cynoſura, vnicum ſapientiæ pariter, fortunæquè delicium, Ades noſtra hac in Academia, dubium, ſpectator futurus, an ſpectaculum. In Muſarum theatrum accede maius ipſe Theatrum, cùm viuant in te Muſæ, quarum hic imagines intueris: periſſent illæ ciuilibus rixis, niſi tuum in ingenium ſe recipere potuiſſent: exanimatæ tubarum clangoribus eſſent, niſi vna excuſſæ vita, totidem à te recepiſſent, quot præfers in ſtemmate corda. Accede igitur àd Mercuriales homines recens ipſe Mercurius, & quas nobis ſcientias reddidiſti, plaudentes excipe.

Vbi in hanc ſententiam loquutus eſt, demiſsè illum veneratus, loco ceſſit, At COMITE àd Theatrum cæptum iter proſequente, feſtiuiſſimi Muſicorum Chori per intercolumnia noſtri Gymnaſij ex compoſito collocati concinnas cantiunculas in eius laudes cecinere, libuit illas etiam hic adijcere:

ECCO pur, ch'al noſtro Cielo
Nuoua ſtella il lume dà,
Ecco pur di nembi il velo,
Che per gioia ſi disfà.
Di Guerra il fremito,
Di Marte il ſtrepito
Ratto ſe'n và.

Rende à noi nouello Sire
Quel che Marte ci rapì,
Piouon gioie, e ſuonan lire
Dou'il ferro incrudelì.

E al

Hor quì ſi volgano,
E al ballo ſciolgano
Le Muſe il piè.

Raſſerena il Ciel GVEVARA,
Che di nubi ſi coprì,
Danzan' hor le Ninfe à gara
Dou' il ſdegno iuſuperbì
D'oro ſi ſmaltano
Le riue, e vantano
Saturno hor quì.

FA ritorno à noi dal Cielo
Con Aſtrea la Pace, e'l Riſo,
E del ferro il freddo gelo
Hor ſi cangia in paradiſo.

Fugge il pianto, e lungi il duolo
Spiega il vol da' noſtri Lidi,
Solo pace, e gioia ſolo
Ne l'Italia hoggi s' annidi.

Di virtù beato il Choro
Che fuggendo e l'arme, e l'ire
Ne giacea trà l'Indo, e'l Moro
Hor ne vien frà balli, e lire.

Viui pur Heroe ſourano
De le Muſe vnica ſpene
Gran ſplendor del Cielo Hiſpano,
Ch'à noi rechi e gioia, e bene.

THEATRVM

Ventum deniquè àd Theatrum, vbi omnes Collateralis Consilij Senatores, cœtereq; Togatæ gentes insederant, conuenerant etiàm prima Neapolitanorum Equitum capita, ac Ciues honestissimi. postquam suo in Solio Excellentissimus COMES insedit, antequàm haberetur Oratio, dùm gens omnis componeretur, Musicorum statio è regione Comitis in proiecturis pensilis ambulachri collocata in hæc verba cecinit:

PIV non canti Argiua lira
D' vn' Alcide la bontà,
Nuoui raggi mentre gira
Sole Ibero di pietà.

L'espugnar Busiri, e Antei
Fù gran saggio di virtù,
Taccin pur' i plettri Achei,
Nè d' Alcide cantin più.

I tuoi preggi il mondo vanti,
Cui simile vnqua non fù,
Vengan'hor le Muse amanti,
Mentre loro accogli tù.

Tronca appena il mostro Alcide.
Che da tronchi se rifà,
La tua mano il mostro ancide,
Et ogn' hydra si disfà.

Al folgor de la tua fede
Se'n fuggì l'infedeltà,
Al tuo preggio il tutto cede,
Che la vita al tutto dà.

Porta

Porta ſeco e gioia, e riſo
Sempre mai l' Hiſpan valore,
Riede à noi vn paradiſo
Animato dal tuo cuore.

Interim in Theatrum acceſſit D. Ioannes Baptiſta Cacacius Rhetorices, ac Inſtitutionum Ciuilium profeſſor, Vir Hiſpani nominis ſtudioſiſſimus, qui ſperare ſe non ſemel aſſeruit, aliquandò Excellentiſſimi COMITIS de ONNATE rebus geſtis ſcribendis ſe veterum ſcriptorum gloriam æquaturum. Hic noſtro Excellentiſſimo COMITE demiſsè ſalutato in exedram è conſpectu illius conſtitutam euaſit, Orationemquè ſumma dicendi contentione habuit, non ſinè omnium plauſu, eam perindè libuit hic ſubnectere:



PRINCEPS
PHILOSOPHVS,

Siuè

ORATIO

IN LAVDES EX.MI AC SAPIENTISSIMI

PRINCIPIS

D. INNICI VELEZ
DE GVEVARA, & TASSIS

COMITIS de ONNATE, & VILLAMEDIANA,&c.

Ac Neapolitani Regni Proregis Meritissimi.

HABITA

IN REGIO NEAPOLITANAE

VRBIS GYMNASIO

In Instauratione Studiorum

A D. IOANNE BAPTISTA CACACIO I. C. NEAPOLITANO,
Ac in eodem Gymnasio Institutionum Ciuilium, ac Rhetorices
Professore An. Dñi 1649.

Cùm



VM essem hoc anno rei literariæ in hoc Sapientissimorum hominum Theatro ex Rhetorum instituto prolusurus, PRINCEPS EXC.ME, iqua in me dicendi vis, siqua vbertas est, quam entio quàm sit exigua, eam omnem tuis à me audibus tribuendam esse existimaui. Eccuiiàm enìm studere potiùs debeat eloquentia, quàm eius encomijs, à quo obruta nupèr bellorum iniuria, ac tumulata, nouo sanè prodigio in hanc lucis vsuram est reuocata? Cuiiàm illa flores omnes, ac cultum, omnemq; dicendi deferat elegantiam, quàm eius prçclarissimis rebus gestis, cuius beneficio suo pristino nitori, ac cultui est restituta? Cuinàm deniquè omnes ingenij vires, spiritum omnem, ac vocem impenderemus, quàm cui vitam, cui liberum hunc aerem, hunc spiritum, hanc vocem, potissimùm verò nostræ huius Academię

inſtaurationem debemus, quæ àb hoſtilium partium ducibus ſuis exedris, ſuis ſubſellijs, ſuo omni ſplendore excuſſa, ac ſpoliata, cadaueroſam hanc parietum ſtruem ægerrimè ſuſtentabat, à te verò viuere didicit, & sùb Sapientiſſimo PRINCIPE lacertos erigere, ac præter ſpem temporum ſtudiorum ſenectus reddita iuuentute refloreſcit. Reparaſti labantem, afflictam erexiſti, confirmaſti iacentem, exanimem deniquè recreaſti. Deerant ſubſellia, & animus ſedendo, ſi qua Pythagoræ fides, ſapiens fieri non poterat: inſanæ Gallorum claſſes te aliò diſtracturæ videbantur; tu tamèn & bellis idem, & literis aptus, ità arma curaſti, vt literas non negligeres, ità reſpexiſti bella, vt ſcientias non deſpiceres, ità deniquè ferrum tractaſti, vt calamum non detrectares; & dùm tabulas alij in militarium plauſtrorum tympana comparabant, alij reficiendis in hac Academia exedris, ac ſubſellijs operam omnem, ac ſtudium fatigabant. O verè Sapientem,

tem! ò verè Magnanimum Principem! ò sæculorum omnium memoria, ac linguis omnium commendandum!

Et verò triumphat oratio mea, dum in tuarum laudum Prouinciam assensu omnium, plausuquè aurigante oratorias laxat habenas. non illa Traianum Plinio, non suos Claudiano Cæsares inuidet, maiorem in te argumentorum oceanum nacta, vbi non sinè admurmurantis vndiq; plaudentisq; terrarum Orbis aura velificetur; quæcumq; enim ornamenta, ac decora in alios Heroas, ac Principes sparserunt superi, ea in te vno summa omnia esse voluerunt, ac singularia. Callent pleriq; literas, totiq; sunt in mordendis lauris; sed vsum, & experimenta rerum ignorant penitùs, cùmquè in commune consulere, ac Ciuium deberent vtilitati prospicere, gaudent, vt Satyricus aiebat, in bicipiti semper somniare Parnasso. Valent alij vsu rerum; sed literarum ornamentis destituuntur. Detestanda est aliorum condi-

ditio, qui & literis, & vſu rerum valent quam-maximè, virtutum tamèn ſatellitio non comitantur; At verò in te vno ea omnia contuliſſe ſuperos experimur, quę ſingula optimum quemquè Principem conſtituere poſſent, & efformare.

Geſtit mihi crede animus, & conceptæ alacritatis impatiens incognita in id temporis, necdùm Atticis, ac Romanis paleſtris inuenta in medium vellet ornamenta producere; ea enim dicenti mihi oblata eſt cauſa, in qua nemini deeſſe poſſit oratio; at verò cui parem nullus hominum valeat inuenire; dicendum eſt enim de tuis virtutibus PRINCEPS EXCELLENTISSIME, quibus exprimendis ſcio me hiſtoricum magis acturum, quàm Rhetorem, Lyſippum potiùs, quàm Apellem; non enim dicendi lenocinijs, ac fictis coloribus tua indigent geſta, quæ ſi nullus adeſſet orator, vota omnium, acclamationeſq; Ciuium, quos è communi

nau-

naufragio in hanc veræ pacis, qua fruimur, ſtationem reduxiſti, eloquerentur, & licèt ancipiti conſilio diſtractus fuerim, nè tuam modeſtiam læſiſſe videar; dicam tamèn, quod Romanus Panegyriſtes aiebat, non tàm me inſpecturum quid aures tuæ pati poſſint, quàm quid virtutibus debeatur.

Atquì cùm tantus ſit tuarum virtutum ſplendor, vt mihi non immeritò timeam, ſi in illum intentionis aciem, mentemq; conuertero, quod in Solis radios oculos intendentibus euenire conſueuit, vt lucis inſolentiæ impares, caligent, & hebetentur, tuarum illam virtutum maieſtatem saniorum hominum iudicio ſpectandam obijciam, qui Solis radios ſpeculis exceptos, & tutiùs vident, & alacriùs meditantur; Non aliter ego è Platonis porticu ſpeculum mutuabor, quo redditæ, expreſſæquè tuarum virtutum imagines, commendandi pariter, imitandiq; nobis exhibeant argumenta. Tùnc, inquit ille, beatas fore Reſpublicas,

ſi aut Philoſophi imperarent, aut earum Principes ſapientiæ ſtudio tenerentur.

Hic vellem quod Poetę ſibi depoſcunt, quotiès in Semideos eorum offendit oratio, centum ſcilicèt ora, ac centum ex adamante linguas, vt qualem, quantumquè àd Platonici effati contentionem te nobis probaueris, poſſem oſtendere. Mitto autèm quod alij in Principibus viris curioſiùs diſquirunt, & inueſtigant, gentis ſcilicèt, Patriæq; ſplendorem, ac decus, quod beatitatis in partem Simonides reponebat; poſſem enim àb Hiſpana gente tuas exordiri laudes, àb illa, inquam, Heroum altrice, à qua ſe accepiſſe potiùs, quã dediſſe Principes Roma fatetur, poſſem cùm ijs, qui terrarum ſtudent commenſibus totam veſtros òb oculos Europen exponere formoſiſſimam illam Agenoris filiam, cuius extremas lacinias, ac ſinum exprimant Cymbri, Noruegij, Suedi, Finni, Liuones, Lituani, Pruſſi, Poloni, Pannones, Sclaui, Croatæ,

Dal-

Dalmatæ, Græci, Thraces, Serui, Bulgari, Daci, Valachi, ac omnis àd Tanaim amnem porrecta Scythia; At ventrem inuicta quondàm bellis, nùnc rerum domina Germania referat: gemina ſint illi brachia, hinc clara triumphis, ſubactiſq; gentibus emergat Italia, indè toto Orbe diuiſa Britannia: Collum quà Pyreneis montibus ſubiacet Gallia mentiatur; At verò caput ſapientiſſimorum Principum altrix, ac Regnorum Pentheſilea componat Hiſpania, quaſi iamtùm àb terrarū orbis exordio Hiſpaniam in Europæ caput deſignante natura, vt reliqua haberet Europa, vndè leges acciperet, cuiuſq; conſilio, ac ſapientia regeretur. Tumeant licèt Alpes, ac Cœlo delapſa iactent Gallorum lilia, ſuo tamen capiti decedant oportet. Emergat è Balthico mari fatàlis Gothus, Vſedonum, ac circumpoſitas inſulas ſcandat, indè in Pomeraniam irruat, Stetinum occupet, iungat pontibus Oderam, eiuſquè latices victrici galea bibat, gaudeat ſe-

de-

deratorum plausibus, ac Lutherana Erynni viam pandente cùm Austriaco Ioue luctetur, Lusatos inuadat, Silesiam premat, Boemiam quasset, Morauiam populetur, per Albim, ac Danubium triumphalia vela dimittat, territisquè Franchonibus, ac Palatinatus defectione tentata, Bauaris quà fusis, quà laceratis, àd Rhæticos montes euadat, Italiam petiturus; vbi tamèn inter Theutonicas alas Hispanus miles affulsit, tuoq;, ac tui Parentis consilio magis, quàm armis Germanus Bella committeret, cùm suum caput Gothus agnouit, coactus cedere, obluctaretur licet, cessit tandèm inuitus, suaquè illi temeritas exitium fuit.

Occurrunt maiorum tuorum imagines, ac octingentos per annos è Nauarræ Regno, ac Pyrenæis iugis Clarissimi amnis instar àd Castellas vsquè traducta Nobilitas sibi semper vbiquè constans, ac nouis gloriarum accessionibus semper digna; Qualis enim, quantusq;

tusq; fuit Magnus ille Heroum Parens D. Vela, quem sibi suos inter maiores contigisse, quorum àd nos est demandata memoria tua gens gaudet, vt àb eo regalibus titulis decoraretur; Regium quippè in morem appellari consueuerat D. Vela Dei gratia Comes, vt àd hæc vsq; tempora àd nos traducta fides testatur annalium.

Constat ex priuilegio manu Regia subscripto, quod asseruatur in archiuio Victoriẽsis Ciuitatis, vbi meminit huius tituli, quãdò loquitur de D. Latro nepote d. D. Velæ Comitis

Quis D. Sancij Gueuaræ illustre nomen ignoret? qui Maurorum impetum Gaditani freti superatis angustijs in Hispaniam irruentium, repressit, ac retardauit, Nauarræq; Regnum suo in exanimi Rege penè exanimatum in vitæ fiduciam, ac spem pristinæ libertatis erexit, quo gladio in hostem pugnauerat, exterrita Libitina, nè Reginæ, quæ eodem cùm Rege procubuerat fato, tentaret vterum, quo dissecto, obstetricante tanti Herois gladio, in triumphos, ac victorias infantem eduxit; is enim D. Sancius Abarca fuit, qui tot de Mauris hostibus laureas reportauit, quot

nec Africanus quondàm Scipio retulisse narratur.

Et nè per vetera diuagemur annalia, vnus parens tuus veterum omnium instar videri poterit. Testatur eius res gestas etiamnùnc Alemania, nèc vllis poterunt temporum vicibus eius in Austriacam familiam merita aboleri. Cùm enìm Septemtriones omnium in eam hostium dexteras excitassent, iuratas non antè finem armis, belloquè facturas, quàm eam radicitùs euellerent, ipsisquè eruerent è fundamentis: Aut quandoquidem àd excidium illam vocare non possent, vnum saltèm euincerent, vt àb Austriaco vertice Cęsareum diadema excuterent, ac dimouerent. In hoc tot bèllacium procellarum Oceano, vnus ille Parens tuus Typhis affulsit, qui arrepto gubernaculo iactatam inter aduersa ventorum puppim in tutissimam stationem reduxisset; illius consilium Cynosura fuit, cuius aspectu Austriadùm prætoria inoffensa velificaretur: ille

ille Helenæ ſideribus compar fuit, qui certam tranquillitatis, malaciæquè ſpem oſtentaret; ſic enim hoſtiles ictus eluſit, vt firmatis ſua prudentia rebus Auſtriacis, omnem in eundem aſſenſum Alemaniam impuliſſet, vt Ferdinandus II. in Regem Romanorum primò, mox in Imperatorem eligeretur, eiquè obſequentem, ac placidiſſimam Boiohæmiam reddidit, cœteraſquè Prouincias, quę anteà Palatinis duellis exercitæ mirum in modum tumultuabantur, ac diſſidebant.

Teſtis eſt ſemèl, & iterùm eadem Alemania, quæ pòſt Guſtaui furias habuit, quod in Fridlanti Duce timeret, quaſi ideò Gothorum timorem veterator ille ſuſtuliſſet, vt ipſe poſtmodùm timeretur, eoquè grauiùs indè periculum erat, quò clàm magis, nulloquè aduertente tecna illa parabatur; ſed non adeò delitere potuit, quin ſagaciſſimo tui Parentis conſilio ſuboleret: ille è Fridlanti manibus rebellem ſicam extorſit, ille àd excidium Im-

perij

perij laxatum iter obſtruxit: caligauit hoſtilis noctua àd nitidiſſimi Solis aſpectum, Boemus ille Icarus ad Hiſpanę tanti Herois Sapientię radios repreſſus eſt, ac retardatus, & dùm pluſquàm par erat faſtigijs inhiabat, fallente veſtigio, hęſit in lubrico; teſtis eſt Nordlinga Vrbs, in qua victoriam toto Orbe, omniumquè linguis celeberrimam Sereniſſimus Cardinalis Infans retulit,ac reportauit; ſed non ſinè tui Parentis conſilio, qui frequentiſsimas Cardinalis Infantis copias Cęſareis ſuaſit adiungi, vt ſibi aditus patefaceret, dùm hoſtem debellaret:

Teſtem tùm alias, tùm potiſsimùm te adhibeam, Alemania, cùm in Imperij ſpem non vnum caput ſe ſe erexerat. hìc ille Lydius Lapis tui Parentis ſapientiam nationum omnium dignam encomijs probauit, ac patefecit, cùm potentiſſimorum totius Europæ Principum votis eluſis, Ferdinandus III., qui nùnc rerum potitur Auguſtiſſimus Imperator tui Paren-

ren-

rentis mira ſolertia Cęſareo diademate decoratus fuit. Ipſa hæret annalium fides, dùm tàm ingentia nobis monimenta teſtatur, exterùm ſcilicèt hominem media in Alemania bis labantem Imperij ſpem in Auſtriaca gente firmaſſe conſilio, ſummaquè aſſeruiſſe conſtantia.

Mitto tamèn hæc, & alia tui Parentis illuſtria monimenta commemorare; aliorum enìm res geſtas hac dicendi ratione ſectarer, non tuas, cuius encomijs àb Hiſpania, noſtroquè meridie àd vltimam vſquè Thulen, totoq; diuiſos orbe Britannos fama circumſonat, quibus in rebus ità te geſſiſti, id tuę prudentiæ ſpecimen oſtentaſti, vt omnium iudicio probatum fuerit, tùnc benè res Auſtriacas conſtitiſſe, cùm in te philoſophari Hiſpania incępiſſet.

Et vt altiùs aliquantò mea repetatur Oratio, nullum latere crediderim, niſi ſapientem, benè neminem regna poſſe, ac Reſpublicas

moderari. Quomodò enìm vrbanas res administrabit, qui politices latices non degustauit? quomodò imperare bellicis turmis poterit, qui historiam magistram illam temporum nè à limine quidèm salutauerit? quomodò in pace, & otio describet ciuibus iura, qui legum studio nunquàm vigiles lucernas adhibuit? quomodò armorum, tubarumq; clangoribus iners ille popinæ, ganeæquè pullus intererit, cui nulla est eloquentia, qua seditiosum componere militem, qua timidum possit in hostem accendere?

Age verò adsit Sapiens Dux, adsit Philosophus Princeps, sit Ilias comes in bello, sit in pace Philosophia, quænàm huius ocium seditio, quinàm militiam hostis inuertet?

Quidnàm Magnum Macedonem fecit, quidnàm victorem Cœsarem, quidnàm Felicem Octauianum, quàm sapientia? Aristoteles Alexandrum formauit, Apollonius Cœsarem, Augustum Arius: ideoquè vt faciliùs

Tro-

Troiam occuparet, non decem Achilles, non totidem lacertoſos Aiaces; ſed decem Neſtores Agamemnon optabat.

Quàm tuti Epaminonda duce fuere Thebani? at is è Pythagoræ ludo àd patriæ regimen, àd armorum, belliq; diſcrimina ſe contulerat.

Quàm benè Macedones Philippus, quàm benè Grȩciam adminiſtrauit? at is magiſtrum habuit Epaminondam.

Quàm benè primus ille Vrbis, & Imperij conditor Romulus pace, belloquè ſe geſſit; at is, ſi Dionyſio credimus, non è ſyluis proluſit àd Vrbes, non è paſtoritia vita proceſſit àd Regiam; ſed è Gabiorum Academijs adlectus fuit ad iacienda Romanȩ Reipublicæ fundamenta.

Prodeat in medium Theodoſius meæ ſententiæ facturus fidem, qui è Socratis, ac Platonis ſtudio àd Imperium adſcitus palàm oſtendit nunquàm meliùs res Auſonias conſtitiſſe,

quàm

quàm cùm ſapientibus traditæ fuerint gubernandæ.

Quàm benè Carolo Magno duce Romanum reuiuixit Imperium; at is adeò literis inhiabat, vt legum nomen capulo curaret inſcribi, tùm ſapientes homines conquireret vndiq; quos amaret, vnaquè hæc ſapientiæ nota tantùm apùd illum valuit, vt Paulo Diacono, qui Deſiderij Longobardorum Regis partes fouebat, non pepercerit ſolùm; ſed pręmijs etiàm conduxerit àd ſui temporis hiſtorias conſcribendas.

Mitto Mithridatem, mitto Coſdroem, hunc Perſarum, illum Ponti Regem, mitto Alphonſum Aragonenſem, Hiſpanum illum Mecænatem, quem magis ſibi Regem contigiſſe iactat Neapolis, quàm gemini maris Imperium, quàm Bacchi, Cereriſquè certamen, quàm mitiſſimam Cœli temperiem, ac naturæ ſolertis ingenio amæniſſimorum collium Maſſici, Gauri, Falerni, omniumquè pulcherrimi

rimi Veſuuij circumpoſitam ſibi coronam. is cùm aliquandò in Auguſtini libris fortaſsè legiſſet, Principem ſinè literis pecudem potiùs eſſe, quàm Principem ea ſcientias omnes hausit auiditate; quaſi non aliter ſe Regem eſſe fateretur, niſi ſuam etiàm Prouinciam literas faceret. O auream illam ætatem! ò feliciſſima tempora! cùm sùb Philoſopho Principe ſe ſe extulit ſapientia. Non mimi tunc, non paraſiti aulam inſidebant; ſed Theologi, Philoſophi, Iuriſconſulti, ac ſapientiſſimi quiquè aulici erant. Georgius Trapezuntius, Bartholomęus Facius, Ioannes Auriſpa, Antonius Panormita ęrarium Principis erant, in eos mercedes illæ erogabantur, quas in alijs aulis ineptiſſimi homines liguriunt, & expilant: igitur cùm cœteri Reges in tenebris iaceant, ſolus Alphonſus in omnium ſœculorum luce verſatur: loquitur adhùc ſapientiſſimus Princeps in Antonij Panormitæ libris, vbi dicta omnia tanti Regis adhùc po-

ſteritas diſcit, adhùc loquitur, adhùc laudibus àd cœlum extollit.

Mitto tamèn Alphonſum Aragonenſem, mitto cœteros eiuſdem conſilij ſocios Imperatores, ac Reges, cùm in tui vnius contemplationem me reuocet Philoſophia. Sicubi enìm bellorum exarſere faces, tua ſapientia reſtinxit. Sicubi ſunt coorta diſſidia, tui conſilij adhibuit caducæum Hiſpania. Sicubi perfidorum hominum emerſit audacia, tuam Auſtria fidem oppoſuit. Sicubi nutauit religio, tu humeros firmiſſimos ſuppoſuiſti. Sicubi exleges homines bella fecerunt, tui oppoſuiſti iura conſilij, adeoquè Philoſophiæ nomen, non mea tantùm oratione; ſed totius Terrarum Orbis ſuffragijs tibi delatum, optimo vindicas iure. hęc tibi dux, cùm Legatus ageres in Alemania, ubi tuam committendis in pugnis prudentiam prima bellatorum capita ſuſpexere. Quantum dies illa tibi, decus, quantam Auſtriaco exercitui gloriam pe-

peperit, cùm non dùm uigesimum eggressus annum, ac Germanicam legationem obires, nutantibus apùd Forum Iulij cęteris Alemanię ducibus, ut ex illis ipsis accepimus, nùm hostem inuaderent, tu qui àd sapientię libellam rem omnem examinaueras, signum pugnę dedisti, hostemquè loco cedere, ac sua in castra se recipere coegisti, quod eo maiori exceptum est plausu, quò magis pręter spem accidit.

Quid cùm legationem in Angliam suscepisses summa illa pręditus potestate, quam Plenipotentiam dicimus, quo tempore Britannorum Rex, qui Belgium quasi sibi iniuria maris ereptum, uotis, ac animo meditabatur, Palatini Comitis bella, quę omnem de euentu sollicitam Alemaniam detinebant, causatus, ingentem adornabat classem, in speciem, ut Palatino suppetias ferret, re uera ut in Belgicas Hispanorum Prouincias bella conuerteret. Quid hic ageres, PRINCEPS EXC.^ME? peteres

no-

ſtro àb Auguſtiſſimo Rege, quid in ea re, tibi foret deliberandum? At interim ſi tàm ingentem exercitum in Belgij continentem contigiſſet exponi, noua Bellorum incendia in ea terrarum plaga exarſiſſent. Cardinalis Infantis copiæ florentiſſimæ, quæ tantæ non Gallis, & Batauis, ſed & cœteris hoſtilibus Germaniæ nationibus erant formidini, Anglicarum obiectu nonnihil è ſua dignitate, ac ſplendore deceſſiſſent. Incertæ res aleæ videbatur, nec cunctatione opus erat. Igitur Q. Fabij conſtantiam æmulatus, qui vt è Saguntina obſidione Annibalem remoueret, excuſſo togæ ſinu, vtram vellet, pacis, an belli conditionem propoſuit: àd Anglorum Regem adiſti (vt ex locupletiſsimæ fidei teſtibus, qui ibi tunc aderant ſpectatores, àd nos relatum) impauido vultu, ac verè Hiſpano Principe digno, Auſtriaci Regis arma toto Orbe victricia, Hiſpanumquè robur minatus, niſi tot militares dimitteret apparatus in claſſem recepto Ar-

chi-

chitalaſſo, profectionequè ſublatis iàm anchoris, velorumquè ſinubus iàm laxatis. imminente. tantumquè dicendo valuiſti ea eloquentiæ fulmina euibraſti, vt reuocari mandata, contineri ille milites, iuſſerit, & nè quidquàm hoſtilis mobiles illę roſtratarum nauium inſulæ aduersùs Hiſpanorum Prouincias molirentur, edixit.

Ecquis hunc hominem cùm Metellis, cùm Marijs, cùm Scipionibus non componat? Ecquis non lætetur noſtra hac tempeſtate inter degeneres mundi ſeneſcentis annos priſtinæ illius virtutis Semideum intueri? Quid ſi reliquas illius res geſtas in Anglia proſequi dicendo vellem, quarum fama àb extrema illa Europæ lacinia toto Terrarum orbe circumuolat: Profectò nullum haberent, non dicam Athenæ, vel Sparta; ſed nè ipſa quidèm Roma, quem illi conſerret.

Sed quandoquidèm meus in Romam incidit ſermo, qualem te ibi exhibuiſti eò miſ-

ſus Legatus? Quodnàm in illo tàm ancipitis aleæ ludo tuarum virtutum ſpecimen oſtentaſti? cùm potisſimùm òb debacchantem per id temporis noſtra in hac vrbe, Regniquè Prouincijs àd ſati ſatietatem ſeditionem, non vna eſſent partium ſtudia. Quid plura? ità ea in Vrbe tuarum virtutum Maieſtas enituit, vt Pontifici Maximo charus eſſes in paucis, vnicè dıligereris à ciuıbus, incertiquè inter timorem, ac reuerentiam Galli, tuam prudentiam obſeruarent. Omnium deniquè vna vox eſſet, ſe oratorum omnium neminem àd illam tempeſtatem vidiſſe, qui tàm benè verſare ſe ſciuerit, ac circumagere, vt àb amicis ferretur in oculis, timeretur àb hoſtibus, ac coleretur.

Et verò noſtro bono (ſic Regni ſalutem ſuperis conſtituentibus) Romam orator acceſſeras, vt indè modico flexu curandæ Neapolis, componendæquè curam ſuſciperes; Quis enim ciuilium bellorum temperauit inſaniam?

ſaniam? Quis decimis iactatam fluctibus Regni nauim in tutisſimam ſtationem quodadmodò manuduxit? Quis obductum teterrimis cęlum hoc nimbis immiſſo veluti Sole ſuæ priſtinę ſerenitati reſtituit, quàm tui vnius Sapientia ſingularis? omnium dignitates, ſpes, ac fortunas omnes, vitam deniquè ipſam in ſummum diſcrimen adducta periclitabamur: Ciuitas hæc luxuriantis naturæ delicium, amænisſimum Europæ totius emporium, Muſarum ſedes iucundisſima, quæ cùm alibi naſcantur; hìc viſæ ſunt adoleſcere, vrbium infelicisſima, ac ſuarum gloriarum tumulus videbatur; ſed mittamus cataſtrophem hanc in ſcęnam reducere, cùm illius ſpectatores omnes fuerimus; dicam tamèn eò rem redactam fuiſſe, vt expes eſſe cęptauerit, niſi te nobis pium, magnanimum, ſapientem, talem deniquè, qualem ea temporis conditio poſtulabat, diuina prouidentia tradidiſſet, vereque probaſti intereſſe quammaximè inter arma-

tum,

tum, ac ſapientem Ducem. Obuia in hiſtoriarum monimentis ea omnia habuiſti, quæ & bellandi pariter, & componendi bella, rationes, ac momenta ſuppeterent. Hauſiſti è Rhetorum campis eam dicendi vim, eamquè copiam, qua inſana disſidentium capita flectere àd ſanitatem poſſes, & emollire. E philoſophorum libris ea virtutum ſemina delibaſti, quarum nomen ipſum, ac fama ità tumultuantes Populos noſtro Auguſtisſimo Regi conciliauit, vt illi ipſi, qui arma armis, cędes, cædibus, incendia incendijs cumulauerant, antequàm te præſentem aſpicerent, non ſinè lacrymis, ac ſuſpirijs expoſtularent, eorumquè temporum quererentur conditionem, quæ eos à tam pio, optimoquè Principe diſtineret; Nùnc verò præſentem vident, ſuis votis, ac deſiderijs parem, ſuamquè reddunt Claudiano fidem, dùm ait aliarum gentium, ac nationum Prouincias ſuo Romanos imperio adiecisſe, vt haberent vndè

dè ſegetes, vndè militum robur,equorumquè armenta colligerent; at verò àb Hiſpania non aliud expoſtulaſſe tributum, quàm Principes, quàm Imperatores

Namquè aliæ gentes, quas fœdere Roma recepit,
Aut armis domuit, varios aptantur in vſus
Imperij: Phariæ ſegetes, ac Punica meſſis
Caſtrorum deuota cibo: dat Gallia robur
Militis: Illyricis ſudant equitatibus alæ
Sola nouum Latijs vectigal Iberia rebus
Contulit Auguſtos: fruges, æraria, miles
Vndiquè conueniunt, totoquè ex Orbe leguntur,
Hæc generat qui cuncta regant.

Age verò quammagnificè virtutum hic in te enitet apparatus, ac primùm quantæ Principi debet curæ eſſe religio,quantæ Iuſtitia, quanta debet in rebus omnibus eſſe temperantia, quanta fide,quanta prudentia, quam magno, ingentiq; animo, quanta deniquè humanitate, quantoquè ingenio, quæ qualia in te ſint non linguæ ſolùm; ſed mores ipſi ciuium, ratioquè viuendi apertè ſatis oſtendit, cùm enim cenſura ſit vita Principis, eaquè perpetua, àd

eam ſubiectæ gentes, ac nationes diriguntur. Hinc factum olim, vt sùb Alexandro Macedone bellicæ laudis ſtudio Macedones oblectarentur, voluptuoſi fuerint sùb Dionyſio Siracuſani, Religioſi sùb Numa Quirites, pugnaces sùb Anco Martio, ſeditioſi sùb Iulio Cæſare, sùb Marco Antonio philoſophi, ac literis dediti, eademquè tuis auſpicijs facta eſt Ciuitas Neapolitana,ac ipſe es.

Labefactauerant, ac peſſumdederant omnia,neſcio quinàm, qui ſuorum Regum ruina emergere cupiebant; ſed vt primùm affulſiſti, nebulæ illæ, quæ ingenti noſtro in Hiſpanos amori prætendebantur, quodàm veluti nitidisſimi Solis aſpectu euanuerunt. Inuertere noſtram illi fidem, & obſequens in Hiſpanos ingenium nitebantur; ſed tua fide effectum eſt, vt perfida illa Gallorum colluuies vix fugæ compos aufugerit. Iuſtitiam illi exulem egerant, cùm bona noſtra diriperent, noſtriſquè iugulis minarentur;

tu tamèn eiectis è Latio Gallis, nobiſquè pi-
cta illa formidine liberatis, extorrem anteà,
ac peregrinam noſtram in hanc Vrbem Iuſti-
tiam reduxiſti. Compoſitæ ſunt res Neapo-
litanæ, & àd Iuſtitiæ libellam sùb iuſto Prin-
cipe conformatæ, non gratioſis togę, non reli-
qua munia; ſed emeritis impenduntur. Non
auro dignitates emuntur; ſed ſudoribus, pro-
bantquè Cleanthis lucernæ trabeatos homi-
nes, non ſpecula, & calamiſtra, ijquè di-
gniores qui probiores, nec reijcit quemquàm
municipium, quem virtus Vrbanum facit:
nullus ex ſceleſtis timor, cùm ſcelerum vltor
ſis ſeuerisſimus: Optimus quiſquè noſtro
Principi amicisſimus: nullius facinora eius
gratia fulciuntur: Adulteria, inceſtus, ra-
pinæ, & illa ſicariorum colluuies, quæ vi-
uendi nobis ſecuritatem ademerant, aliò iàm
migrarunt, ſi vſquàm illis conſiſtere licet.
Sancta eſt ciuitatis facies, pudica, humana,
& sùb Philoſopho Principe ſapientiæ ſtudio-
ſiſ-

ſisſima. Sinamus igitùr veteres queri calamitates, ſi talem, ac tantum nobis Principem afferre debuerant.

Prætereo reliquas illius virtutes enumerare, quæ tales, ac tantæ ſunt, vt me priùs non dicam clepſydra; ſed vita ipſa deficeret, quàm illas poſſem prò dignitate recenſere.

Clamet nùnc ſi volet Cicero, ò vitæ Philoſophia dux, ò virtutis indagatrix, tu Regna peperiſti, tu disſipatos homines in vitæ ſocietatem conuocaſti, tu magiſtra morum, tù diſciplinæ fuiſti, àd te confugimus, à te opem petimus; Hæc enìm omnia in noſtro ſapientiſſimo PROREGE experimur, qui huius ope Philoſophiæ verſam in Agauen Neapolim ſuos Pentheos dilacerantem, ac furiatos illos Oreſtes, qui in ſuæ patriæ viſcera dementes ſicas conuerterant, in eam tranſtulit conſonantiam, qua nùnc non ſinè communi lætitię ſenſu fruimur, ac delectamur.

Iactitet vt libet Auguſtus lateritiam ſe Vr-

bem

bem accepiſſe, reliquiſſe marmoream, dicat & Septimius Seuerus accepiſſe initio ſui Imperij Rempublicam conturbatam; reliquiſſe verò velut in ſtatione compoſitam; quæcumquè enìm de illis incerta temporum, ac dubia famæ, in te nos ipſi àd alacritatis, lętitięquè miraculum periclitamur; non enìm luteam tantùm, ac teſtaceam Neapolim fecerant bella; ſed cladium compendium, buſtum vrbium, ac priſtinorum decorum ferale naufragium; tu tamen àb excidijs àd ſecuritatem, è tumulo àd vitam, è naufragio deniquè in portum tutiſſimum reduxiſti.

Ecquis igitur Demarati Corynthij non vſurpet vocem. O infelices patres noſtros, quibus talem Principem videre non licuit!

Hùc hùc veſtra ingenioſiſſima ocia, hùc ſudatas cùm Cleanthe noctes conuertite, Academici eruditiſſimi, decantata illa veterum annalium argumenta dimittite, quæ maiora eorum temporum finxit ambitio. hùc potiùs,

hùc ſolertes calamos; hùc operam omnem, ſtudiumquè conferte. Non Aeneis, non Thebais veſtris citharis vſurpetur; ſed omnium Heroum inſtar vnus INNICVS concinatur, à quo Neapolis habet, vt ſit Neapolis; nupèr enìm opprobrium vrbium, ac Italiæ dedecus videbatur. Certent Tuſcis Latina poemata, vtra ingenioſiùs, vtra veriùs illius laudes aſſequi valeant. Dediſcat poeſis fabellas, ac ludicra, cùm maior illi pateat in INNICO campus, non commentis; ſed rebus geſtis, non fabularum; ſed hiſtoriarum meſſe luxurians.

Quod vnum supereſt, Excellentiſſime PRINCEPS, literatorum hominum ſpes, quæ in te omnes repoſitæ ſunt, ac collocatæ, è temporum iniuria, qua maximè labefactantur, aſſertas erige, ac tuere, ijſquè auxilijs, quibus niſi iuuentur, ruinam minantur quammaximam, prò eo, quo ſemper in literas amore fuiſti, fouere non deſinas; nihil enìm reliqui lite-

ratis

ratis hominibus bella fecerunt, quàm tui vnius ſapientiam, ac in ſtudioſos homines beneficia. Iacuiſſet in Syluis Maro, niſi Auguſtus illis temporibus contigiſſet, qui eius auenam vertit in tubam, vt è culice Virgilium tranſtulit àd Aeneida. Obſoleuiſſet Cyneæ eloquentia, niſi eum Pyrrhi pecunia promouiſſet. Diffiſus fuiſſet Auſonius eloquentiæ, niſi Gratiano Imperatore duce pauperiem excuſſiſſet è Rhetore verſus in Conſulem. Delituiſſet Proæreſij prodigioſa facundia, niſi Conſtantem Imperatorem Mecęnatem inueniſſet.

Te tamèn magis gloriatur Ducem inueniſſe ſapientia, quàm tot anteactos Imperatores, ac Reges, quibus & literis compar, nec minor es in literatos homines ſtudio, adeoq; noſtra tenuitas ſe ſe totam in te committit, ſperatquè tuis auſpicijs in eum ſe gloriæ, ac dignitatis apicem euaſurâm, quem nec optare vnquàm eſt auſa.

D I X I.

RHETORVM ACADEMIAE SPECIMEN

Coràm

EXC.MO COMITE

DE ONNATE

Habitum.



ABITA demùm Oratione,in medium Theatrum desiliens Cacacius noster pòst habita àd PROREGEM officia,àd subsellia se contulit, vbi aliarum Scientiarum Professores aderant; interìm verò libuit Illustrissimo Domino D. Ioanni de Salamanca nostrorum Studiorum Gymnasiarchæ specimen aliquod Rhetorum Academię, quā idem D. Ioannes Baptista Cacacius instituerat,coràm PROREGE haberi, eam regebat D. Iosephus de Palma Ducis Sancti Eliæ germanus frater. Assidebant illi D. Ianuarius Suardus filius D. Prosperi Suardi Ducis Castelli Airolę,& D. Hieronymus Lāfrancus Cauensis Episcopi nepos adolescentes,quidèm omnes pari ingenij, ac nobilitatis laude, moribus insuper humanissimis, quiquè ciuilium legum studio Rhetorices ornamenta addenda censebant

Facti species ea fuit Titius cùm captus à piratis fuisset, eumquè filij redimere neglexissent, tandèm ad extrema vitæ redactus testamentum condidit, quo Ecclesiam instituit, filios exhæredauit. eo deniquè vita functo Ecclesia hæreditatem petit, filij eam àd se pertinere contendunt.

Pro filijs in hanc sententiam perorauit Paulus de Miro ingeniosissimus adolescens.

OMNIVM Sapientissimus ille Apollinis oraculo Socrates iudicatus, Excellentissime Princeps, tale sapientiæ decus consequutus est apùd omnes, vt eum vita functum peritissimus quidam Orator flebiliter vrgeret semper dicens, sæpiusquè repetens Theatrum, Theatrum perdidi. Nos autèm ipso quò miseriori eò citrà litem feliciores tantum Principem spectatorem sortiti illud identidèm repetemus,Theatrum inuenimus, in quo licèt nihil impolitum offerendum esset ò b tanti Principis authoritatem, cùm huius

huius sæculi pertæsam Astræam vnicus reuocaueris deuectam àd Superos, tùm quià ità libentèr non aspernaris cuiusquè liberas querimonias,vt Comitem sperem tuam, ò Princeps, beneuolentiam in hac causa, in qua, vt muneri satisfaciam meo,video hinc Ecclesiæ Religionem me deterrentem, illinc sua iura ergà filios pietatem exponere; sed quià non ignoro commune illud ex D. Augustino dicterium: *Siquis velit Ecchlesiam instituere filios exhæredando, alium consulat quam Augustinum*; hinc vires aliquantulùm resumendo, & quià filiorum defensio mihi delata est, pro illis dicam, & dicam breuiùs, quàm in re tanta dici posset. Dicendum est enim de illius testamenti apùd piratas conditi infirmis viribus, ac nullitate, in quo pater ille decedens, vt Ecchlesiæ pietati consuleret, iura sanguinis violauit, ac dùm pius videri voluit, impius magìs habitus est. Et licèt facti species iàm proposita loquatur de capto à piratis, non verò ab hostibus, quibus publicè bellum decretum est,àd duplicem text. in l. hostes, altera de captiuis, & postli. reuers. altera de verborum signific. tùm quià potest intelligi, vel de capto à piratis amicorùm, vel illorum, cùm quibus nequè bellum, nequè aliquid amicitiæ fœdus habemus, vt esset nostris temporibus à piratis Maurorum, ideò rem ità componendam puto, quouis autèm modo dicatur, semper filiorum causam præcipuam esse contendam. Et primò si captus fuit à piratis, vt esset Maurorum,non video,quo modò potuerit testari captiuus ille, & si testatus est, quo iure, cùm apùd hostes existeret,quibus licet bellum publicè decretum non sit, tamèn nobiscùm nullam amicitiam habent, nullum vsum, nullum hospitium, quas tabulas infirmissimas habere vires firmiter puto, vt consuluit Gozadinus cons. 68. num. 2. & ità dixit Ludouicus Morotius lib. 1. responso 85. num. 6. Sed statìm inquiet pars aduersa, hoc apertissimè repugnare tex. in l. qui à latronibus, ff. de testam. vbi qui à latronibus capti sunt, cùm liberi maneant,possunt facere testamentum, sed soluam Hercule difficultatem inferius, vides interìm abundare me otio? Quod testamentum sit nullum probatur ex ea potissima ratione l. postliminium, § in pace, ff. de captiuis, cuius text. intellectus vtpotè contrà naturalem æquitatem apparens, non parùm aliquandò iugulauit DD. aliquos, sed meliorem tradidit potissimum Regens Con-

stan-

ſtantius in l. vnica, C. de claſſicis, lib. 11. num. 128. dicitur enim ibi ſi cùm gente aliqua neque amicitiam, neque hoſpitium habeamus, hi quidèm hoſtes non ſunt, quod autèm ex noſtro àd eos peruenit eorum fit, & liber homo noſter àb eis captus fit ſeruus eorum, quomodò igitùr per tuã fidem, Eccellentiſſime Princeps, poterit captus, ibi condere teſtamentum cum fiat ſeruus eorum, & leges omnes vociferentur ſeruo minimè teſtamenti factionem competere, l. filius famil. 1. & 2. huius nominis, iuncta l. eius, ff. de teſtam. Hìnc facillimo negotio diluitur difficultas, ex d. l. qui à latronibus, loquitur enìm de illis latronibus tex., qui infeſtantes tantùm itinera, iura familiaritatis nobiſcùm retinent, vel ſi non retinent, habent cõmercium, vel hoſpitium, & ſic etiàm intelligitur tex. in l. hoſtes. & l. poſtliminium 19. §. à piratis, ff. de captiuis, &c. noſtrum autèm dubium vertitur in capto à piratis illorum, quibus licet bellum publicè indictum non ſit, ſemper tamèn abſquè præuia indictione in dictum cenſetur, quod cum illis non habeamus, neque hoſpitium, neque aliquod amicitiæ fœdus, hìnc etiàm ceſſante bello poſtliminium in illis locum habet, vt primò in d. l. poſtliminij ius, §. in pace, ac probauit Angelus in ſua q. 31. incipiente exorta guerra, col. 7. quem ſecutus fuit Bologninus àd Ananiam conſ. 11. num. 6.

Remanet igitùr plenè diſcuſſum, probatumquè ſimùl nullius eſſe, roboris, ac momenti teſtamentum illud apud inimicorum piratas conditum. Sed nè videatur in hac filiorum cauſa, ſimulquè defenſione nimis ſtrictè proceſſum eſſe, volo dare contendenti aduerſario, licèt concedam nunquàm, tabulas illas omnem habuiſſe formitatem omni iure confectas, vel ſi dicatur teſtatorem captum fuiſſe àb amicorum piratis, & ſic potuiſſe condere teſtamentum, vt ſuprà propoſui, benè habet, percontor tamèn hunc Eccleſiæ inſtitutæ patronum, qua ratione potuiſſe captum illum filios exhęredare? quo iure? quales nè leges? permittunt hęreditatem à filijs auferri, alijquè deferri? qualia iura ſanguinis tantum facinus non humanum, ferinum potius patiantur? At inquiet filiorum ingratitudinem, qui cùm parentem poſſent, redimere, non redimere ſufficientem prębuiſſe rationem adimendæ hæreditatis, ità ſuadente tex. in §. ſi vnum, auth. vt cum de appellatione cognoſcitur. Audio, ſed ſcire

 cu-

cupio, quomodò porrigenda eſt lex illa ad captum à latronibus, cum diſponat hanc ingratitudinis pœnam incurrere, qui captiuum ab hoſtibus non redemit, eo magìs cùm ſit pœnalis, & odioſa, pœnalis quidèm, ſiquidèm filios exhæredat, & exhæredat, ſi antecedat culpa, in pœnis ergò interpretationem ſemper minorem fieri debere, exclamauit tex. in l. præſens, C. de pœnis, in cap. pœnis, de regul. iur. in 6. imò in illis nequè ex ſimili, nequè ex rationis maioritate extentionem faciendam eſſe, probauit tex. in l. ſi verò, § de viro, ff. ſol. matr. ibiquè DD. omnes l. cùm quidam, ff. de lib. & poſth. & nequè propter rationis identitatem, vt ex multis probat doctiſſimus Præſes Merlinus controu. forenſ. tom. 1. cap. 47. num. 9.

Non ignoro tamèn DD. multos dixiſſe cauſas ingratitudinis, òb quas filius ſcribi poteſt exhæres numeratas in § quamobrem, authent. vt cum, de appellat. cog. poſſe etiàm porrigi àd alias ſimiles, vel maiores, vt dixit Iaſon in auth. non licet, num. 6. quem refert Cutt. iun. ibi pòſt num. 23. C. de liber. præteritis, ac multi alij, quos ſequitur Iulius Clarus in § teſtamentum, q. 41. num. 2. & Regius Conſiliarius Marcianus conſ. 3. Tamèn tantorum virorum pace in iure ſi ſtrictè loqui velimus nulla extentio fit in pœnis, non valet de vno àd aliud argumentari, vt ipſemet Clarus noſtræ concluſioni contrarius aduertit, ac pòſt multos alios probauit Bonacina de præceptis decalogi, diſcept. 6. q. vnica, puncto 6 Præter quàm quòd ità loquendo DD. iſti non parum violarunt literam illius authentici, in quo taxatiuè dixit Iuſtinus nullas cauſas alteri liceat opponere, niſi quæ in huius conſtitutionis ſerie continentur, hæc numero ingratitudinis cauſa à liberis commiſſa, in d. § quamobrem non inuenitur, vt perſpiciendum erit, Excellentiſſime Princeps, cuius rectiſſimum iudicium in omni cauſa ſemper fuit grauiſſimum veritatis auctoramentum.

Prò

Prò Ecclesia ità dixit Paulus Liotta adolescens ingeniosus in paucis.

SI qua in miserorum hominum non iterùm redditura iudicia Pietas est adhibenda, Excellentissime Princeps; Titius hic illam meretur, Qui cum è Neapolitano soluisset litore, Gades Insulam petiturus, ac secunda vsus nauigatione omnem Italiæ oram præteruectus, indè dimissa Prouincia Sardiniam legisset. Tandèmquè in altum progressus, ac nautico Celeumate Hispaniæ benè precatus Gaditano freto fęliciter immineret, In Pyratarum Myoparonem incidit, Qui scopulorum fraude latebat. Ipse cùm liburnica vteretur, vehendis potiùs mercibus, quàm naualibus velitationibus apta, omnem in fuga mentem adiecit. Sed cùm Pyratæ, & Remigum contentione,& tormentorum insupèr displosione instarent, cessit Miluo, Columba, Italus, Mauro, in prædam obuenit. Bonorum, quæ asportabat omnium iacturam fecit. Iurium Romanorum Ciuium Naufragium passus, ipsoquè capite diminutus, vnam tantum religionem seruire barbaris non permisit, interìm dilata, filiorum incuria, redemptione, mortem illi seruitutis incommoda maturauerant, quam inter mauros piam exegit, liberis exhæredatis, ecchlesia hærede instituta. Filij, qui obliti parentis, tantùm bonorum memores, pijssimas illius tabulas impietatis insimulant. Tuetur easdem Ecclesia, cuius ego causam defendendam suscepi; Cùm apertè Iustinianus in §. causas, auth. vt cùm de appell. iuncta l. Parentibus, C. de inoff. test. in filios, qui parentes redimere non curauerint, exheredationis fulmen intendat. Cùm igitùr in eos armentur leges, ac vindex insurgat Imperator, non est, cur filij, qui destituti parentis pœnam merentur, hæreditatis præmia meditentur.

Quid? ingrati in Parentem filij Ecclesiam excludant? sc. hoc esset non pœnis ingratos prosequi; sed fauoribus; Squalebat inter Barbaros infęlix pater, macie, & pædore consumptus; Nitebant

bant excussa omni pietate in Vrbe filij, curandæquè cuti nauabant operam.

Propone tibi òb oculos, Princeps Excellentissime, captum à Barbaris Romanum Ciuem, ac Tunetanæ Biremis damnatum Remigio, nauiganti inclusus carceri, ac volanti Equuleo, ità viuit dùm potest, vt mori vellet, si illi hæc optio proponeretur; O infelicissimorum hominum septa, quæ Cœlum, Solem, Aquam, Terramque vertunt in cruciatus, noluerunt eum Barbari ferro exinanire, nè citò ille infelix esse desineret. Non in æquora deturbare, nè pias vndas experiretur, quæ illum pœnis eximerent. Non flammis absumere, cùm non detrimenta, sed incrementa quærerent crudelitatis. Igitùr tot malis obnoxius infœlix pater ità vexabatur à Barbaris, vt nè à filijs quidèm solamen vllum experiretur, ità premebatur hostili ferro, vt nè suo quidèm auro à proprijs liberis redimeretur.

Ergò id genus hominum libet ad paternam hæreditatem admittere Ecchlesiæ causa posthabita; Iura omnia in ingratos armantur, & scelus hoc eliminant. Vassallus, qui Domini beneficium felonia compensat, feudo priuatur, cap. 1. de prohibita feud. alien. Si donatarius ingratus probetur, reuocatur donatio, l. 1. C. de reuoc. donat. Ingrati actionem dirigi in libertos ingratos iubet text. in l. qui manumittuntur, C. de oper. libertor.

Nùm ergò tantum hoc scelus, nouo exemplo, non modò, non pœnám, sed fauorem sit inuenturum?

Quare in Tersitem euadit Achilles, quo se aduersarij tuebantur, testari scilicèt non potuisse captiuum, quià caput non habebat, ex § fin. instit. quibus non est perm. Nàm, vt inquit Imperator in l. sancimus, C. de sacros. Eccles., faciendum est discrimen inter res Diuinas, & humanas, Cœlestiquè fauori sua conseruanda est prærogatiua. Estò igitùr àd profanos vsus captiuum testari non posse: At Ecclesiæ fauor indè erit excipiendus, vt cùm potissimùm captiui, bona filiorum incuria apùd hostes defuncti præcisa testamenti causa, Ecclesiæ dari iubeat Imperator in §. vnum de prædictis, auth. vt cùm, de appellat. cogn.

Enim-

Enimverò quis præsumatur Ecchlesiam excludere, cui fauēdum, & iura omnia, & innata Christianis Pectoribus pietas expostulat. Saluianus, nos, inquit, vsum tantùm illarum rerum accepimus, quas tenemus; Commodatis enìm à Deo facultatibus vtimur, & quasi precarij possessores sumus. Quid autèm rectiùs? Quid honestiùs? Quàm vt vbì res àb eo discedit, qui vsum habuit, àd eum reuertatur possessio, qui vtendam concessit.

Nec filiorum Cauilla quidquàm euincunt, qui textum in d. §. causas, de captis à publicis tantùm hostibus loqui contendunt, nec debere extensionem fieri àd piratas iuxtà regulas iuris. Nàm filios exhæredari posse non solùm òb causas expressas in nouella 115. sed òb similes etiàm vel grauiores communis est Doctorum assensus, vsuquè id apùd omnes receptum testantur Interpretes in Auth. non licèt, C. de liber. præter. Iulius Clarus in §. testamentum quæst. 41. num. 2. Gomes. 1. resol. 11. Gudelinus lib. 2. de iur. nouiss. cap. 8. Christinæus vol. 4 dec. 19. num. 5 Grot. lib. 2. manud. cap. 18. Schneid. & Vinnius in princ. tituli de inoffic. testam. Quid si enim filius violentas in patrem non intulerit manus; sed naufragio pereuntem, cùm periculo possit eripere, non faciat, perindè exhęredari non poterit? At inquies odiosa est exhæredatio, & odia extendi prohibent leges, nullaq; interpretatione iuuari, l. cùm quidam 19. D. de liber. & posthum. cap. odia, de regul. iur. in 6. Sed occurram obiectis odia quidèm interpretatione fouenda non esse; at legum mentem, etiàm si de odiosis agat æqua esse interpretatione iuuandam; cùm enim leges casus omnes complecti nequeant, àd similes semper extendi debent, l. 10. cum tribus sequentibus, l. ideò 27. D. de legibus. Nequè hinc, inquit Vinnius, excipiendæ sunt leges pœnales; nàm & illæ vtiquè leges sunt, & obuia passim sunt responsa Iurisconsultorum àd hunc, quem diximus modum, leges publicorum iudiciorum Interpretantium.

Accedat, quod capti à piratis nostrorum temporum, qui plerumq; vel Mauri sunt, vel Turcæ, vt euenit in nostra hypothesi om-

nia communia cùm captis à veris hoſtibus habent, vt pars aduerſa ingeniosè cùm Conſtantio probauit ex l. poſtliminij 5. §.in pace,D.de captiuis, cùr igitur & cauſam exhæredandi liberos parentum redemptionem negligentes, communem non habebunt?

Sint igitur Schytæ, ſint Troglodita, qui ingratis potiùs liberis faueant, quàm Eccleſię; at sùb Italiæ Cœlo sùb hoc pietatis, ac Religionis domicilio, nè memoretur quidèm tàm ingens ſcelus. Coràm Hiſpano Principe Diuinę cauſæ ſtudioſiſſimo non audeant impij, & in patrem,& in Religionem filij quidquàm afferre.

Contrà Filios, Don Ianuarius Suardus Primus Aſſeſſor.

NEſcio quemadmodùm comparatum natura ſit, vt plerumquè quos maximè diligimus, oderimus quammaximè. Amant Parentes filios; ſed ſi vertatur in iram, momento temporis charitas illa in natos reciditur, quæ longo tempore adoleuit. Notæ ſunt Theſei in Hyppolytum voces:

Non cernat vltrò lucidum Hyppolitus diem,
Adeatquè manes iuuenis irato patre.

Et Conſtantini indignatio in Cripſum filium:

Iudice parente cauſa dicenda eſt tibi,
Meliore cauſa turpior nunquàm foro
Audita terris

Nec

Nec alia magìs paternas armarunt manus vitia, quàm ingratitudo, Illa Vrbes vertit in solitudines, seditiones plerumquè parat, fratres vertit in Atreos, filios in parricidas, parentes in hostes. Vt non mirùm perindè sit concessisse iura parentibus non vnam, aut alteram; sed quatuordecim causas ingratitudinis, quarum si vna probetur, filius paterna exutus hæreditate nulla querela iuuatur, nec inofficiosas patris tabulas poterit accusare.

At hæc dant vltrò aduersarij, ea in re summam totius quæstioni reponentes, Quod Iustinianus Imperator quatuordecim tantùm exhæredanti filios causas præscripsit, quas inter ea non numeratur, quæ præsenti iudicio ansam præbuit, captus scilicèt à piratis parens, & per filiorum socordiam apùd illos defunctus; sed occurram obiectis, nec minùs Iustiniani mentem illis obijciam, quam verba. Iustinianus, aiunt illi, prætèr quatuordecim causas expresè alias afferri vetuit; at vereor nè textum Nouellę 115. non intellexerint, qui in hunc modum ratiocinantur. Appellant illi àd verba, quæ in hanc sententiam protulit Iustinianus, *Vt præter ipsas nulli liceat ex alia lege ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie continentur*. Clara quidèm illa sunt; eorumq; verborum inquit Vinnius àd titulum inst. de inoffic. testam. non alius sensus est, quàm qnod non liceat ex legibus antiquis causas opponere, quæ in dicta constitutione nun continentur. Deus bone! quàm expresè id fatetur Iustinianus. *Sed quia*, inquit, *causas, ex quibus ingrati liberi debeant iudicari, in diuersis legibus dispersas, & non apertè declaratas inuenimus: quarum aliquæ nec dignæ nobis àd ingratitudinem visæ sunt; aliquæ verò cùm essent dignæ, prætermissæ sunt, ideò necessarium esse perspeximus eas nominatim peæsenti lege compræhendere: vt præter ipsas nulli liceat* (non quidèm similes, aut grauiores; nàm hoc ex identitate rationis negare non poterat Iustinianus; sed) *ex alia lege*, (nàm aliarum veterum legum causas ipse iàm abrogauerat) *ingratitudinis causas opponere, nisi quæ in huius constitutionis serie*

seriè cõtinentur, quasì diceret, si opponẽdæ hæ causæ sunt ex lege, non ex alia lege opponi volumus, quàm ex nostra, nec perindè negamus, si pares occurrant, aut grauiores, eas opponi non posse.

Nec siquis Iustinianum roget, fuerit nè alia illi mens, nisi quem verbis expressit, aliud sibi propositum dicet. Alioqui filium exhæredari voluisset, qui parenti leuem òb rixam manus fortasè intulerit, eum verò, qui parenti inferri iniuriam siuerit, cùm ipse prohibere potuerit, dignum paterna hæreditate existimasset. Esset perindè exhæredandus, qui patrem accusaret; qui accusationem instruxerit, iuuerit pretio, consilijs, probationibus, paterna deberet hæreditate iuuari. Exuendus hæredis nomine foret ille, qui patri insidiaretur, non ille, qui cùm posset, non detexit insidias, Qui falsum testimonium in parentem non protulisset, paternis bonis non esset indignus, at qui alios, vt dicerent subornauerit, dignus foret. O vecordem, ò anilem sententiam.

At inquies odiosa est exhęredatio, ac proindè interpretatione non adiuuanda, l. cùm quidam *19*. D. de liber. & posth. cap. odia de R. I in *6*, Neque nos hanc cantilenam ignoramus, non sunt odijs interpretationes assuendæ cùm de scriptura testamenti, vt inquit Vinnius, cùm de facto exhæredati, cùm de voluntate exhæredantis agitur; Cœterùm vbi de legis vi, atquè interpretatione disputatur, hoc semper legibus inerit, vt ex mente Legislatorum interpretationem recipiant, vt quià omnes casus, qui quandoque incidere possunt, compræhendere nequeũt, àd eas quoque res, & causas pertineant, quæ quandoque similes erunt, l. *10* cum trib. seqq. l. ideò *27*. D. de legibus, neque hinc excipiendæ sunt leges pœnales; nàm & illæ vtiq. leges sunt, & obuia passim responsa Iureconsultorum sunt, etiam leges publicorum iudiciorum àd hunc, quem diximus, modum interpretantium, vt elegantissimè ratiocinatur Vinnius.

Ferendam igitùr contrà impium filium sententiam puto, iustè crudeles

deles inueniat Iudices, qui iniustè immanis in parentem fuit. Paterna illi denegentur bona, qui in miseri parentis caput tot mala comgessit. Armentur in illum leges, qui à piratarum armis patrem non exemit. Naufragium paternæ hæreditatis sentiat, qui paternam libertatem naufragam non adiuuit.

Contrà Filios, D. Hieronymus Lanfrancus Secundus Assessor.

NON me Caspiæ genuerunt rupes, aut Hircanæ mihi tygrides vbera admouerunt, qui filiorum impietatem fouere audeam. immanissimi hominum hanc à natura non hauserunt immanitatem, vt miserrimis parentibus opem non ferant. Ecquis enìm illos in suam non restiruant Ciuitatem, à quibus cùm nascerentur iura Ciuium sortitus est? Quis in libertatem eum non asserat, cuius beneficio ei liberum esse contigit? exhæres igitùr sit ille, qui Dominus esse nesciuit. Sed quoniàm iure se tueri iniurius filius audet, quas in sui fauorem ille leges putat esse, in eius odium conuertamus. Vnicum illi in Nouella 115. refugium est, ignarus eam ipsius etiàm causam iugulare. Ait ibi Iustinianus. *Si vnum de prædictis parentibus in captiuitate detineri contigerit, & eius liberi, siuè omnes, siuè vnus non festinauerint eum redimere: siquidèm valuerit calamitatem captiuitatis euadere, in eius sit potestate, vtrum hanc causam ingratitudinis testamento suo velit adscribere.* Putat filius hæc verba sibi litem adiudicare, & de captis àb hostibus Iustinianum loqui, non de captis à piratis, cùm hostes sint illi, quibus Populus Romanus publicè bellum indixit, l. hostes, de captiu. l. hostes de V. S. sed ità non sunt piratæ, quibus nullum est publicè bellum indictum: perindè putant in ipsum, Imperatorem exhæredationis causas non extendisse.

Quambellè hactenùs parem in vtroquè casu rationem, parem facere exhæredationis causam demonstrarunt alij. Mihi de captis tàm àb hostibus, quàm à piratis Imperatorem loqui probandum est, quod si ostendero, iure contrà filium pronunciauero. Dabo igitùr hostem esse, in quem publicè P. R. bellum indixit; sed negabo Iustinianum in d. nouel. 115. loqui de captis àb hostibus; sed de captiuis, siuè àb hostibus capti sint, siuè à piratis, cùm possit quis esse captiuus, licet non àb ijs capiatur, quibus publicè Populus Romanus bellum indixit; sed àb ijs, cùm quibus nobis pax est, vt sunt piratæ, ità est text. in l. postliminij 5. D. de captiu. & postlim. reuers. vbi ità loquitur Pomponius. *In pace quoquè postliminium datum est. Nàm si cùm gente aliqua nequè hospitium, nequè fœdus amicitiæ causa factum habemus, hi hostes quidèm non sunt: quod autèm ex nostro àd eos peruenit, illorum fit: & liber homo noster àb eis captus, fit seruus eorum.* Quibus verbis apertè constat posse seruum (quem idem esse, ac captiuum nemo est qui nesciat) fieri illum, qui à piratis captus est. Igitùr cùm Iustinianus in d. nouel. 115. loquatur de captiuis, consequens est non de captis tantùm àb hostibus; sed de captis etiàm à piratis sermonem habere: perindè ipsa iura, quæ prò se filius esse putabat, contrà illum ferendam esse sententiam manifestè satis euincunt.

Abeat igitùr ingratus in parentem filius, nec contrà Ecchlesiam litem audeat instituere, qui stare aduersùm se iura cognoscit; nec malè secùm actum putet, si sola hæreditatis exclusione punitur, qui non parentis tantùm; sed vostra etiàm animaduersione dignus esset.

D. Io-

D. Iosephus de Palma Academiæ Princeps sententiam contrà filium prò Ecchlesia tulit in hæc verba:

HActenùs,& pro filio,& prò Ecchlesia peroratum est satis. Mihi, quæ meæ sunt partes, Ecchlesiæ litem adiudicandam existimo, tùm quia exhæredari filius non òb 14. tantùm causas, quas Imperator expressit in nouell. 115. sed òb grauiores, aut certè pares omninò potest, vt grauissimi Doctores senserunt Alexander cons. 203. num. 6. lib. 2. Iason in Auth. non licet, num. 7. C. de liber. preter. Ruin. cons. 74. num. 3. lib. 1. Ioan. Saison in consuet. Turon. tit. 27. art. 9 Bellon. in repetit. rubricæ, C. de edendo, num. 81. Iulius Clarus in §. testamentum, q. 41. num. 2. Gomes. 1. resol. 11. Gudel. 2. de iur. nouiss. cap. 8. Christin. vol. 4. dec. 19. nu. 5. Grot. 2. manuduct. 18 Ioan. Schncideu. & Arnold. Vinnius ad titulum inst. de inoff testam. Ioan. Borch. in §. nominatim, inst. de exhæredat. liberor. & alij communitèr, ideoquè Menoch. lib. 2. de arbitr. iudic. centur. 3. casu 267. causas exhæredationis arbitrio iudicis committendas censuit. ità enìm de similibus, vt de expressis ferendum esse iudicium probat apertè tex. in cap 1. § 2. vers. sed qui- natura lib. 2. feudor. tit. 24. quæ fuit prima causa benef. amitt. Tùm quià tex. in d. nouel. 115. non de captis àb hostibus solùm; sed de captiuis simplicitèr loquitur, quo nomine captos etiàm à piratis potissimùm Mauricis, aut Thracibus compræhendi disertissimè probatur in allata nuper. l. 5. D. de captiu.

Et hoc alequale Rhetorum Academiæ specimen tibi offerre libuit, Princeps Excellentissime, quæ tuis auspicijs in eam se dignitatem euasuram sperat, vt cæteris omnibus sit eloquentiæ palmam præreptura.

IMPRIMATVR

Gregorius Peccerillus Vicarius Generalis Neapolitanus.

Mag. Fr. Ioseph de Rubeis S.T.D. Ord. Min. Conuent. S. Francisci. Consultor S. Officij, ac Eminentissimi Cardinalis PHILAMARINI Theologus.

Errata	*Corrige*
Fol.1. multa illarum gentium.	multa de illarum gentium moribus.
Ibid. ignem	ignis
Ibid. Vllyſſem	Vlyſſem
Ibid. diggremur	digredimur
Fol.2. quo	quò
Fol.3. nonnunqnàm	nonnunquàm
Fol.8. innemoroſum	in nemoroſum
Fol.10. Aſiæ	Aſia
Ibid. aſſeruarum	aſſeruatum
Fol.11. ingenti in religione	in relligione, *nàm* (ingenti) *abundat*)
Fol.13. lacrymis	lachrymis
Ibid. aggreſſus	agreſſus
Fol.14. fęlicius	felicius
Fol.16. quem	quam
Fol.17. Eraquè	AEraquè
Fol.24. ſi cor,	cor, *nàm* (ſi) *abundat*
Fol.25. coaciliaſſe	conciliaſſe
Fol.26. Lijeij	Lycij
Fol.27. Neapolis?	Neapolis
Ibid. examini	exanimi
Fol.32. Iaſpis	Iaſpidem
Fol.35. vlli	vllis
Fol.37. perforaret	perforare
Ibid. Aſt	Aſt vbi
Fol.40. reggreſſus	regreſſus
Fol.43. Cladianus	Claudianus
Fol 46. eius ſunt ſigna	eius ſigna
Ibid. aquarum	aquam
Fol.55 bipennium	bipennim
Fol.60 Martam	Martem
F.63. àt. iamtum	iamnunc
Ibid. iugeni	ingeni
Fol. 64. ignos	ignes
Ibid. moderator	moderatur
Fol.93. quodadmodo	quodammodo


VICTOR